



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orationes Sex, Tres Fvnebres, Dogmaticæ Tres

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1576

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69636)


Prima in os signi in gutture
hois ut si aliquis in infu-
mitate possit in impio
aut pfectioe memoz nois
sui esse teus un libaret. **Q**
subito nubes circumdedit e-
um et in nube iudicanda
est. per orationem eius exau-
ditam et petrus implenda
asseruit. **B**eatum decollat
est. et vitam sepulchris. **D**ixit
aut dñs in sua omnia


causam qui abductam et alio
autam iustitiam alapis
cedi et in carcerem reuerti.
Petro die eductam fecit su-
spendi in caules. et in ma-
nibus torqueri et abscindi
et iuxta morti in carcerem. **D**ixit
et in carcerem nocte uenit
ad eam uisus petrus ut me-
dicus et ante eum puer
cum iuxta uisio eo iudicor
modi iudicabat mediana

LVI

30

Ph. 5858





ORATIONES SEX,
TRES FVNEBRES,
DOGMATICÆ TRES: HIS
TEMPORIBVS APPRIME
VTILES, ET NECESSARIAE.

DOGMATICARVM.

1. De causa prævalentium heresum.
2. De officio p̄ viri inter medios hereticos agentis.
3. Apologia Recentiori Ecclesie: sine contra Prescriptionem Protestantum qua veteris tantum Ecclesie testimonia in di-
rimendus hodie controuersijs admittunt, posterioris reijciunt.
Funerium Argumenta sequens pagina indicabit.

Lib. Coll. Socij Joh. Paderborn. a. 1610
A THOMA STAPLETONO Anglo S. Theolo-
giae Doctore & Professore Regio, in celeberrima Aca-
demia Duacena publice omnes habitæ.



ANTVERTIÆ,
Apud Iohannem Foulerum Anglum,
M. D. LXXVI.
CVM PRIVILEGIO.

& Funerium Orationum Argumenta.

IN laudem FRANCISCI RICHARDOTI, Reuerendissimi nuper Atrebatensis Episcopi, Oratio Funebri.

IN laudem R. P. IOANNIS LENTALLERII, monasterij Aquicinctensis, nuper Abbatis præstantissimi, Oratio funebris.

IN laudem MATTHÆI GALENI, S. Th. Doctoris & (dum viueret,) Professoris Regij, in celeberr. Academia Duacena, necnō & eiusdem Academię Cancellarij, Oratio funebris.



REVERENDISSI-
MO IN CHRISTO PATRI
AC DOMINO. D. MATTHAEO MOV-
LARTIO ABBATI S. GISLENI, ELECTO
Episcopo Atrebatensi, Dom. suo Co-
lendissimo.



*E*st actionum humanarum
omnium innata quaedam vis
(Reuerēdisime in Christo Pa-
ter) ut non solum quum fiunt,
vel noxia sint vel salutare,
sed etiam iam facta exem-
plo quoque plus minusve aut noceant aut con-
ducant. Sed maiorem quandam in hoc genere
energiam virtus habet, quae in modum ignis
elementi purissimi non solum ardet rectè & u-
tiliter operando, sed & lucet ad sui imitatio-
nem alios pertrahendo. Latius autem illa lux
operum spargitur, quàm flamma succendit:
maioresq; utilitates rectè factorum exempla
afferunt, quàm cum fierent, afferre poterunt.

✻ 2

Neque

EPISTOLA

Neque enim Romana aut Graeca Reipub. rebus Scipionum & Themistoclis fortuna, Fabiorum & Thesei fides, Fabriciorum & Periclis integritas, Catonum et Aristidis gravitas, prudentia, iustitia, tot denique aliorum fortiss. virorum admirabilis virtus, tantum vel incrementi attulit vel splendoris adiecit, et si in utroque genere plurimum, quantum toti posteritati praeclarissimarum rerum gestarum exemplo praeluxit. Ex qua re factum est, ut non solum qui res magnas praeclare ipsi gesserunt, sed etiam qui aliorum praeclara facta literarum monumentis consecrarunt, optime de Reipub. & humano genere meriti fuisse censeantur. Alter enim ille isq; praestantior rerum bene gestarum fructus horum demum beneficio conseruatur. Sed in hoc genere, ut virtus ipsa ita & virtutis exempla quae a vere pijs animis proficiscuntur, nec officio tantum, sed & fine laudabilia sunt, ipsiq; Deo non hominibus solum grata, quas solas aut veras aut certe fructuosas virtutes merito dixeris, longe amplissimum fructum reportarunt. Nec id tantummodo sua quasi vi, & innata quadam energia, qua ipsa seipsam commendat virtus, & mirabiles sui amores excitat, sed etiam ex

Authoris

DEDICATORIA.

Authoris ipsius, qui huius generis virtutes
suorum animis instillat, singulari quodam in-
stituto, & ex admirabili Dei opt. max. Proui-
dentia. Ille enim tanquam huius vniversi, non
author tantum & opifex, sed & moderator ac
prouisor vniversalis, vt in alijs ferè rebus om-
nibus ita maximè in actione virtutum, in
commune bonum omnia dirigit, & vel sui no-
minis honorem, vel proximi utilitatem in sin-
gulis disponit. Hac enim sanè de causa ad sui
honoris illustrationem lucere vult opera
nostra coram hominibus, vt videant ope-
ra nostra bona, & glorificetur Pater no-
ster coelestis: & Sacramentum quidem
regis abscondi, sua autem opera magnifi-
cari gloriosum censet. Nec in vllis suis ope-
ribus magis hanc gloriam captat, quàm in san-
ctis suis, in quibus gloriosus & admirabilis
videri vult. Quod ad proximi autem nostri
bonum attinet, adeò non nobis, sed alijs omni-
bus nostra prodesse vult, vt proximum non se-
cus ac nos ipsos diligere iubeat: vt orare nos
non proprio & priuato sed communi & publi-
co nomine doceat: vt omnia ad aedificationem
fieri moneat, vt denique in ipso Symbolo fidei,
Communionem sanctorum profiteri nos
faciat.

EPISTOLA

August.
cōtra Fau-
stum lib.
20. cap. 21.

Hebr. 13.

August.
de doct.
Christ. lib.
1. cap. 28.

2. Cor. 2.

faciat. Fit autem hæc edificatio totius corpo-
ris, & communione hæc Sanctorum frui-
mur, non solum quum meritis eorū ad-
iuuamur & consociamur, sed etiam quum
exemplis incitamus: ut (quod monet A-
postolus) memores Prepositorum nostro-
rum, quorum intuemur exitum conuer-
sationis, imitemur & fidem. Iam vero
ut in toto illo Charitatis arctissimo nexu,
quum omnibus nequeamus, illis potissimum
vel consulimus ipsi, vel consulentibus ad-
haremus, qui (ait Augustinus) pro lo-
corum & temporum, vel quarumli-
bet rerum oportunitatibus constrictius
nobis quadam sorte iunguntur, sic in
hac mutua aliena virtutis copula, & com-
munione suavissima, illos vel admiramur at-
tentius, vel imitamur facilius, vel collau-
damus libentius, qui vel locorum vicinia,
vel temporum spatys nobis coniunctissimi,
egregia nobis suarum virtutum specimina
presentes adiderunt, quasque oculis subie-
cerunt: quique sic à nobis ex hac Luce in
aliam commigrarunt, ut odorem notitiæ
sue manifestum post se reliquerint, facti
bonus odor deo in iis qui salui fiunt. Nam
ut de

DEDICATORIA.

ut de uiuentibus adhuc uiris optimis uerum
illud ut plurimum est, quod Saluator dixit, *Luc. 4.*
Nemo Propheta acceptus est in Patria
sua, ita de defunctis & è conspectu nostro su-
blatis, extraque inuidiam (qua uirtutum co-
mes esse solet,) positis, adeò res aliter se ha-
bet, ut etiam quos ipsi patres occiderunt, eo- *Luc. 11.*
rum filij adificent sepulchra, & quos imitari
pigeat, honore non prosequi erubescat. Quan-
to magis boni omnes & uero uultu & alacri
animo id faciunt, eosque maximè uel fortes
uiras admirantur, uel sanctos uenerantur,
quorū ante oculos res præclarè gestas conspex-
erunt, à quibus uerba uita hauserunt, quo-
rum fructum ipsi perceperunt? Suum ante
omnes ueneratur Carthago Ciprianū, Ambro-
sium Mediolanum, Gallia Dyonisium, Pale-
stina Hieronymum, & ut clarificata fuit Hie-
rosolyma Stephano, sic illustrem se existimat
Roma Laurentio. Et Christus ipse Sanctus *Philip. 2.*
Sanctorum in uniuerso quidem orbe no-
men habet super omne nomen, ut om-
nis lingua ei confiteatur: qui accepit om-
nes gentes hæreditatem suam, & posses- *Psal. 2.*
sionem suam terminos terræ. Quis nes-
cit tamen in terra illa sancta in qua conuersari

EPISTOLA

Esai. II.

voluit, & religiosus illum coli, & intentius
adamari, & familiarius quodammodo conspi-
ci, ut non sine numine propheta dixerit, Erit
sepulchrum eius gloriosum. Insita hæc est
naturæ vis, imò ipse est charitatis ordo ut e-
tiam externis hæc vinculis nobis coniuncta,
intimo quodam magis affectu colamus ac amo-
re prosequamur.

Qua sane tota consideratio non solum me
olim commouit, ut præstantissimos Reipub. no-
stræ viros, qui & summa gloria inter nos vi-
xerunt, & maiore à nobis decesserunt, partim
mea voluntate adductus, partim aliorum au-
thoritate impulsus oratione ornarem: sed &
nunc quoque effecit, ne tantorum virorum
nobis memoria excideret, easdè ut Orationes
in lucem emitterem. Qua sane in re ut ami-
corum voluntati & multorum precibus obse-
cutus sum, ita illud maximè præ oculis habui,
ut tria clarissima Reipub. nostræ Academica
Lumina, & plurimarum virtutum domestica
exempla, eodem fere tempore sublata, eaq; ut
toto vitæ genere distincta, ita in suo vnum-
quodque genere maximè illustre, nullo modo a-
pud nostros interirent, sed quantum hic opel-
læ nostræ genius viuere poterit, perpetua re-
cordatio-

DEDICATORIA.

cordatione posteritati consecrentur. Hoc enim
 profecto & ad vniuersa huius celeberrima A-
 cademia Duacena honorem atque animi gra-
 titudinem, qua tantos in sua Repub. viros,
 aut Mecenates singulares sensit, aut Ornamen-
 ta praeclara habuit, plurimum pertinere, & à
 mea quoque erga eosdem obseruantia minimè
 alienum esse semper iudicauit. Certè quos cele-
 berrima Academia semel suo nomine publicè
 laudari voluit, eos in sempiterna recordatione
 inter ora manusque hominum versari non in-
 uita audiet. Imò laudationem illam paruo mo-
 mento & in aures paucorum factam, sempi-
 ternam esse & quàm latissimè exaudiri haud
 dubiè volet. Ego profecto tum optimi viri Ma-
 thaei Galeni erga me & exulem hic gentem
 meam meritis, tum sapientiss. Abbatis Lentalle-
 rij erga me meosq; beneuolentia, priuatim hoc
 debeo, eorum ut famam laudesq; meritissimas
 quàm maximè diuturnas esse quàmque latissi-
 mè spargi optauerim: nec optauerim modò, sed
 quantum in me est, omni studio contenderim.
 Nec minor quoque etiam in gentem hic no-
 stram Praestantissimi illius Episcopi Richardo-
 ti fauor & singularis animi propensio extitit:
 quod multis ille argumentis tum priuatim,
✻ s tum pu-

EPISTOLA

rum publicè declarauit. Siue ergo quia Reipub. nostra tam clara lumina & nascentis Academia nobilissima præsidia, olim publicè laudata delitescere semper non debent, quasi-que in perpetuam obliuionem abire, siue quia amicorum optimorum cineri hoc dandum erat, damus hæc in lucem à grauissimis uiris & varijs amicis iam diu expetita, ut intelligat posteritas, quibus magna ex parte præsidijs, quantisque uiris florentissima hæc Academia hæctenus vel usa fuerit, vel ornata & adiuta extiterit, ut ad hunc quædam latissimi cernimus, ingentem splendorem breui tempore euecta sit.

Ne uero huic tantum Reipub. nostra aut soli Belgio libellus iste prodiret, esset q̄ hic aliquid uniuersis doctis & pijs non ingratum, adiecimus his tribus Funebribus, Orationes alias tres, easque Dogmaticas, quas olim ex varia occasione in hac etiam celeberrima Academia publicè diximus. Non sanè quòd ea sit in illis uel accurata eruditio qualem doctissimum hoc seculum in causa præsertim religionis adeò hodie controuersa meritò postulat, uel dicendi uis qualem delicata hæc tempora desiderant, sed quòd Argumenta illa comple-
Etuntur

DEDICATORIA.

Etantur quæ his sane temporibus & huic seculo sint imprimis salutaria & cognitu dignissima. Ego de rebus grauissimis breuiter ut Orationum modus patiebatur, dixi. Aliorum erit & pressius ista tractare & limatius ornare, quibus aut ditior rerum sacrarum supellex aut maius otium superest. Confido autem non inutilia fore quæ saltem compendio monuimus, et si copiosè tractata non dedimus. Verè enim scripsit vir sapiens ipse. Da sapienti occasionem & sapiens erit. Quod si ex harum lectione vel minimus quisquam Catholica matris nostræ filius quantumuis exiguam utilitatem ceperit (quod sane in harum editione vnicum spectabam) huic qualicumque labori nostro abunde satisfactum putabo.

Proverb. 2.

Istud verò quale quale tandem Orationum nostrarum opusculum, tuo nomini Reuerendissime in Christo Pater cōsecrari, & sub tuis auspicijs in lucem prodire volui: siue ut nouæ huius Dignitatis tuæ accessionem hoc oblato munusculo gratularer, et vel meo vel potius huius celeberrimæ Academia nomine (cuius hæ sunt Orationes, & in illa, & propter illam à me habitæ) in hoc Episcopatu tuo (loco tuis meritis dignissimo) Multos Annos, omniâque & Ecclesie

EPISTOLA

Ecclesie Dei & huic tuae diœcesi et nobis felicitia ac fausta precarer, siue ut obseruantiam erga te meam animiq; propensionem ad maiora officia paratissimam contestarer, siue denique quia tu is vnus es qui vniuersa illa complecteris, quae in tribus istis à me laudatis Clarissimis Viris admiramur. In te enim certe & Alterũ Richardotũ cernimus, cui nõ tã in episcopatus officio, quàm in illa eius incomparabili facundia, morum singulari comitate, prudentia & grauitate successisti: & Abbatem Lentallerium recognoscimus, quẽ non solum ipse Abbas eiusdemq; ordinis externo habitu refert, sed & vera animi pietate, mansuetudine, liberalitate, religione ad viuum representas: & ipsum denique magna ex parte Theologum Galenum habemus, cui ipse in studio Theologico Louanij Lauream adeptus, etiam in eo genere quàm proximè accedis: atque horum omnium desiderium in te vno lenimus ac reparamus. Accipe ergo & Pontifex & Abbas & Theologus, sereno ac amico vultu, Pontificem Richardotum, Abbatem Lentallerium, Theologũ Galenum, in hys tibi Orationibus nostris licet rudi & crassa Minerva delineatos, veris tamen & suis coloribus expressos: vt quos

vivos

DEDICATORIA.

vivos coluisti, charos & in precio habuisti, eorum hic Monumenta adeoque ipsosmet non iam voce sed rebus loquentes audias quum voles, legas cum libeat, videas quum visum fuerit. Nam quod ad alias Orationes attinet quæ ad animi salutem pertinent, & de rebus Religionis tractant, sub cuius potius quam sub Episcopi nomine vel potius numine prodire debebant? Et has ergo planè que quicquid hoc fuit vel laboris vel studij nostri, æqui bonique consule: nostramq; hanc imo tuam (quippe quæ tui oculis non modica pars sit) Academicam Rempub. tota animi propensione, favore & amore tanquam alter Richardotus prosequere: ut (quod optimus ille tuus Antecessor iam moriens extremis fere verbis à te desideravit) nominus in Duacensis Academia patrocinium quàm in Atrebatensis Episcopatus dignitatem succedere velis. Nostram quoque gentem & orthodoxa religionis & sana doctrinæ causa hic Duaci exulantem, Antecessoris tui etiam in hac parte vestigijs insistentis, Abbatis Lentallerij & Mathæi Galeni nobilissima exempla sequutus, quorum erga nos beneficia toti Duaco sunt notissima, benevolentia & favore pius Pater complectere. Ita sanè fiet ut tum
de Repub.

EPISTOLA

de Repub. hac literaria conseruanda in hoc Belgio & propaganda Religionis orthodoxa causa potissimum, à Regia Catholica Maestate ante paucos annos à fundamentis erecta egregieq; dotata optimè meritis, optimique Pastoris officio hac in re functus, ipsam tibi Academiam vehementer obstringas: ut quo olim obsequio, studio, & obseruantia, celebris memoria Antecessorem tuum coluit, prosecuta, & venerata est, eodem & quidem non minori R. Pat. tuam colat, prosequatur, & veneretur: id quod ipsa etiam nunc Academia pra se fert, eiusq; nomine polliceor ac spondeo: tum verò erga gentem exulem & Catholica fidei retinenda pariter ac liberè exercenda causa in diocesi hac tua peregrinanti paterne affectus, & illius gentis preces (quid enim amplius prestare possunt?) paratissimas habiturus sis, & Deum ipsum quo nihil amplius prestari potest, mercedem sis reportaturus magnam nimis.

R. D. tuam Ecclesia sua ac nobis quàm diutissimè incolumem Deus Optimus maximus conseruet.

DVACI,

DVA EI, apud S. Amatum,
5. Idus Iunij. 1576.

R. D. tua ad omnia deditisti.
THOMAS STA-
PLETONVS.



RICARDVS VITVS

I. V. DOCTOR.

AD LECTOREM.

VOx ea, quę sonuit presentum nuper
in aures,

Et fuit absentum deinde petita prece,
Buccina magnarum rerum, laudumq; vi-
rorum,

Iam venit ante oculos cōspiciēda tuos.
Hoc dictura palam, vel quod res Publica
per te,

Vel quod Priuatim res tua poscit agi.
Publica res quod vult, triplici sermone
notatur:

Posteriore loco hīc, anteriore gradu.

Quod

AD LECTOREM.

Quod Priuata cupit, triplici sermone no-
tatur:

Anteriore loco, posteriore gradu.

Publica Priuatis quis enim postponere
vellet?

Funera quis viuis anteferenda putet?

Ni quia sint fidei tria propugnacula recte,

Et vitæ triplicis lumina trina ferant.

Argumentum ingens, quod tempora no-
stra requirunt,

Rara quibus iuncta est cū pietate fides,

Stapletonus Amicus agit paucisque di-
fertisque,

Amplius haud dicam. Cætera linquo
tibi.

Nobilis cum ô vtinam audisses sua verba
ronantem.

Nunc Isocraticus Lector adesto, pre-
cor.

ORATIO

FVNEBRIS IN LAV-
DEM FRAN. RICHARDO-
TI REVERENDISSIMI EPISCOPI A-
TREBAT. EX MANDATO SENATVS ACA-
DEMICI PVBLICE HABITA APVD DOMINI-
canos. Duaci mense Augusto. 1574.



VEM in rebus omnibus quasi
circulum & periodum natura
posuit, vt à paruis initijs exor-
ta vnaquæque res, ita certis
gradibus atque vestigijs incremētum ca-
piat, vt ad iustam demum perducta men-
suram, decrescat postea, ac eisdem gradi-
bus ad interitū tendat; idem & in artium
quoque ac scientiarum omnium discipli-
nis, idem & in ciuitatum, Rerumpub. at-
que Regnorum origine, progressu & exi-
tu accidere quū soleat (Mag^{cc}. D. Rector,
ornatiss. & humaniss. auditores) non mi-
nus profectò hodierni luctus memoria
sollicitos, quàm eius causa mæstos nos
omnes atque afflictos tenere debet. Ete-
nim celeberrima hæc Academia Duace-
na à paruis initijs ad ingentem splendo-

A rem

rem euecta, & vix dum adulta, maxima
 sui incrementa paruo momēto nacta, his
 postremis diebus, & quidem vnius anni
 curriculo varijs detrimētis sic afflicta, ma-
 gnis ornamentis sic spoliata, subsidijs &
 adiuuentis maximis paulatim & certis
 quasi gradibus sic orbata fuit, vt non tam
 hæc præsens iactura, quæ tamen est gra-
 uissima, mærorem adferre, quàm immi-
 nentis adhuc acerbioris cuiuspiam casus
 metus & sollicitudo anxios nos tenere
 posse videatur. Tanta enim certè adoles-
 centem & florētem egregiè Academiam
 istam derepentè mala ceperunt, & eo
 quidem ordine veteribus noua continuo
 penè successu accesserunt, vt si præpo-
 tens Deus pijs placatus precibus perpe-
 tuis his malis finem non imponat, & ir-
 ruentibus in nos fluctibus repagulum
 non iniiciat, sed cœptum ea cursum tene-
 re permittat; formidare meritò omnes
 debeamus, ne qua celeritate sæliciter bre-
 ui momento creuit, eadem infælici exi-
 tu ad immaturum interitum citius ten-
 dat.

Neque

Neque enim adhuc annus est, quòd duos præstantissimos viros, & huius Academiae alterum quidem ornamentum singulare, alterum præsidium amplissimum Cancellarium Galenum, & Abbatem Lentallerium nobis ereptos luximus, & oratione funebri, pro Academia in eos studio condecorauimus.

Accessit hodie tertius, vnus sanè qui Academiam istam, & eruditione, ac virtute plurimum ornauit, & auctoritate ac gratia vehementer promouit, Franciscus Richardotus, Reuerendissimus nuper Atrebatensis Episcopus, pariter nobis his diebus ereptus, qui vt grassantis huius mali, quo Academiae tot columnina vno ferè momenro eripiuntur, cumulum auxit, ita ne grauius adhuc idem malum grassetur, metum inijcit.

Etenim cum nullum malum solum veniat, & semel irritata fortuna non facile denuò arrideat, sed inclinantem ad ruinam ac nutantem porrò impellat, ac præcipitem crudelis agat, fit sanè, vt funestos

interdum & fatales (vt cum vulgo loquamur) annos diuinæ prouidentix iusta moderatio inferat, nec ab infligendis pænis (quū semel cæperit) prius desistat, quàm ad purum excoxerit & sordiū fœces omnes penitus absterferit. Quo in genere grauissimum est illud satisque frequens & vsitatum, quod per Prophetam facturum se Deus subinde comminatur, dicēs: *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda, (ab ecclesiastica & ciuili Repub.) validum & fortem Iudicem & Prophetam ariolum & senem honorabilem vultu & consiliarium, sapientem de architectis & prudentem eloquij mystici.* Siue enim præteritos iam dudum annos recolamus, & vel ad annū illum supra sesquimillesimum vigesimum septimum toti Italiæ ab atroci terribiliq̃ue armorum strepitu, ab inuisitata frugum penuria, à pestilenti cæli, atque aëris inclemētia supra omnes, quorum patres nostri meminissent, maximè dirum & perniciosissimum, oculos coniciamus, siue propiora & domestica inspicimus, & anno quidem 58. vnâ cum potentissimo monarcha Imperatore Carolo 5.

Esai. 3.

Paulus Romanus hist. lib. 26.

lo 5. tres præterea Reges, Ioannem Lusitaniae, Christianum & Christernum Daniae, quatuor verò Reginas, Eleonoram Franciae, Bonam Poloniae, Mariam Pannoniae, & alteram Mariam Angliae vno ferè momento sublatas meminerimus, vt taceam quatuor Principes Electores Moguntinum, Treuerensem, & Coloniensem Archiepiscopos atque Ottohèricum Comitem Palatinum, ducè quoque Venetorum, eodem etiã anno 58. defunctos, anni verò 60. vnum mensem, qui duos Reges Franciscum 2. Galliae, & Gustanum Suediae, Ernestum quoque Bauariae Ducem, & Michaellem Archiepiscopum Salisburgensem magnos imperij Principes è medio sustulit, ad memoriam reuocemus; profecto diuinę indignationis & proiecti ad vindictam brachij maximum argumentum esse debet, & adhuc extensae manus eius iustam formidinem iniicere merito potest, quòd nec vnus adhuc anni elapsus curriculum, in hac mediocri Academica Repub. tria maxima columnina Mathæum Galenum Cancellarium doctissimum atque grauissimum, Ioannem

Magni principes breui tempore defuncti.

Lentalerium Abbatem optimum & munificentissimum, Franciscum Richardotum vt Episcopum celebratissimum, ita huius Academiae parentem & Mecænatem amantissimum & studiosissimum, è viuis eripuerit. Vt sanè nō solū studiosè pro officio, sed etiam prudenter, & graui-ter pro rei ipsius dignitate Academia fecerit, hoc publico indicto conuentu.

In quo quidem non minus pro Academiae salute apud diuinam clementiam supplicari, vt qui funestus fuit hætenus & multis nominibus calamitosus nobis annus, placato pijs precibus cælesti numine fælicior exeat, & inferendis malis finem imponat, quàm pro ipsius Richardoti meritissimo honore ex hoc loco dici voluit. Atque illud quidem alterum quia omnibus commune est, ego sanè & Academiae nomine, & meo quàm possum maximè & enixissimè vobis omnibus commendo. In omnibus enim his non est auersus furor Domini, sed adhuc manus eius extenta. Alterum verò quod mei muneris proprium esse, Senatus Academicus voluit, fauente Deo & vestra
omnium

Esai. 9.

omnium humanitate fretus, aggrediar. Quanquam sanè ne multas ob causas & mihi non parum difficilis, & vobis minus iucunda hæc futura sit oratio, est quod meritò formidem. Et si enim nihil facilius quàm de Francisco Richardoto dicere, in quo vno homine ornando ars & natura certamen inijsse videri possunt (sic & artium omnium adiumentis & naturæ dotibus singulis plenissimè instructus fuit) & tantarum virtutum iucunda esse debet & grata recordatio; tamen tum maximarum rerum tantam varietatem breui oratione complecti, quasi que Homeri Iliada nucleo inclusam tenere, tum de rebus passim notissimis agere, & in nostra ipsorum calamitate describenda versari, (quanto enim magis Richardotum laudamus, tantò nobis excellentius bonum ereptum ostendimus) nō immeritò pertimesco, ne & illud mihi futurum sit difficillimum, & hoc vestris auribus parum gratum. Verùm enim uerò hanc geminam difficultatem vestra & æquitas & prudentia facilè superabit: si & me leuiora prætermittentem,

graviora quædam succinctius percurren-
tem, paucis verò rebus grauissimis & ma-
ximis paulò diutius immorâtem æquani-
miter audieritis: & erepta nobis, vel po-
tius ab authore suo repetita in vno homi-
ne tot pariter bona, prudenter tuleritis.
Eo autem ordine hæc nostra feretur ora-
tio, vt primo quidem loco quis vir ante et
extra Episcopatum fuerit; deinde qualem
se in Episcopatu gesserit; tertio ac postre-
mò, huic Academiæ qualem se exhibue-
rit, quantum hæc illi debeat, ostendatur.
Quæ singula dum pertracto, vos quæso
diligenter, quod facitis, attendite.

Narratio.

Itaque vt infantiam omnẽ & primam
illam ætatem prætermittã, cuius quidem
res gestæ inditia magis virtutum sunt, eã-
que sæpenumerò fallacia, quàm iusta lau-
dis argumenta; virum iam & adultum fa-
ctum Richardotum nostrum inspiciamus,
& quibus ille gradibus ad supremum hũc
disciplinarum, virtutum, atque honorum
apicem conscenderit, consideremus. Sa-
nè vt ex ephēbis iam excessit, & sui iuris
factus virtutis suæ argumēta præbere cœ-
pit, tanto literarum exarsit amore, tanto
discendi

discēdi flagrauit desiderio, vt sæpenumero ne prandēs quidem à libris potuerit adolescens reuelli. Quum autem & desiderio responderet ingenium præstantissimum, non deessent subsidia literaria, adessent magistri optimi, potissimū studiorum pensum sacræ Theologiæ piè consecraret, breui quidem tempore (quid enim improbus labor non vincit?) sacræ pagine Mysteria infatigabili studio & perpetua lectione perquisiuit, didicit, tenuit: Patrum vetustissimorū tam Græcorum, quā Latinorū volumina sedulò euoluit, in scholastica arena plurimum sudauit, Philosophorum veterum & exoticæ sapientiæ adyta penetrauit, linguarum cognitionem, Hebraicæ mediocrem, Græcæ & Latinæ accuratissimā adiecit, in eloquentiæ palestra fælicissimè se exercuit, historiarum tam veterum, quàm recentiorū monumenta percurrit. His ille disciplinarum omnium præsidijs iam instructissimus, naturæ præterea dotibus præclarè ornatus, acumine ingenij singulari, facundia quadam admirabili, memoria tenacissima penèque Incredibili, vultus grauitate, &

A 5 constan-

*Docet Lute-
sia.*

constantia, morum comitate suauissima à natura imbutus, quia diu delitescere tanta lux, aut otio torpescere tanta virtus non potuit, anno ætatis vicesimo publicè Parisijs Paulinas epistolas professus est frequentissimo auditorio maximaq; omnium admiratione. Inde adhuc inuenis in Italiã studiorum causa profectus, Principibus viris sic innotuit, vt eius confortio, in quo tam multiplex eruditio reluceret, mirificè omnes delectarentur. De rebus enim omnibus sic disseruit, vt inter medicos rei medicinæ expertissimus, inter Iureconsultos, in iure ipse consultissimus, inter Philosophos totus Philosophus (tametsi professione semper Theologus esset) omnino videretur. In Burgundiã natale solùm ex Italia visendæ matris iam decrepitæ causa piè reuersus, eo tamè animo vt in Italiam ad studia rediret, Bezuntij ab amplissimo viro D. Francisco Bónalotio Abbate Luxouij honestissimis conditionibus retentus est. Moxq; in amicitiam Nicholai Perenotti Granuellani celeberrimi & prudentissimi viri ascitus, illo authore & eius auspicijs multis annis Bezuntij publicè docuit, & restau-

*Proficetur
Bezuntij.*

restauratā à dicto Grāuellano Academiā
 Bezuntinā sua sedulitate plurimū promo-
 vit, suo splēdore mirabiliter illustravit, suis
 denique humeris nutantē ac labantē pe-
 nē solus sustinuit. Ab illo munere ad ma-
 iora vocatus, vir planē ad maxima natus,
 ab illustrissimo Cardinali Antonio Pere-
 notto Grāuellano, quē honoris causa no-
 mino, tū ad grauiora in cōcilio Regio ob-
 eunda munera euocato, ad Suffraganeatū
 Atrebat. assumptus est. Quo munere pre-
 clarē functus, paulò post beneuolentia &
 cōmendatione eiusdē Illustrissimi Cardi-
 nalis à Rege Catholico in Episcopum A-
 trebat. cooptatus est: vt viro prudētissimo
 multisq; nominib; lōgē celeberrimo suf-
 fectus fuerit, vir ipse & prudētia, & erudi-
 tionis, & verē pietatis nomine commēda-
 tissim; ac illo episcopat; loco dignissimus.

*Episcopus
 Atrebat. fa-
 ctus.*

Quo quidē in loco & munere quā iste
 Richardotus se gesserit, quām tēporibus
 planē difficillimis, hinc in ouile grassanti-
 bus lupis rapacibus hæreticorū turbis, in-
 de in suas suorūq; ceruices imminēte ex-
 terno hoste, domi quoq; reb; omnib; per-
 turbatis fame, bello, peste, cæterisque toti
 Belgio

Belgio communibus malis, & ipsam quoque Artesiam, licet magis cæteris immunem, tamen in calamitatum partem pariter inuoluentibus, quàm in istis omnibus malis prudenter se gesserit, quàm sedulam ouilis curam habuerit, quàm constanter & intrepidè orthodoxam fidem, docendo, scribendo, concionando semper asseruerit, quàm nihil pristinae fortitudinis, virtutis, & animi remiserit, & (vt vno verbo dicam) quàm verè se Episcopum gesserit, meministis fortasse plerique omnes, sed & eadem mecū hîc breuiter recognoscere erit operæpretiū. Summa enim hæc est & propria nostri Richardoti laus. Quòd enim vir eloquentissimus & ad differendum quauis de re ex tempore paratissimus fuerit, quod summus & excellens Theologus extiterit, quòd in omni disciplinarum genere, linguarum & historiarum cognitione, nemini hac ætate nostra (preclarissimorum tamen ingeniorum fecundissima) inferior fuerit, plurimos superauerit, commune hoc fortassis illi est cum alijs doctissimis viris, inferioris tamē notæ & ordinis hominibus: At verò Episcopi

ſcopi munus, hoc etiam rerum articulo,
 præclarè geſſiſſe, illud & ſumma laude di-
 gnum, & aut ſoli Richardoto noſtro pro-
 prium, aut ei certè cum quàm pauciſſi-
 mis commune eſt. Probat enim magiſtra-
 tus virum, & *vt corporis vulnera ſi atteras,* Chryſoſt.
lib. 6. de
prodit ſe dolor, & difficilius curantur: ita ani- sacerdotio.
mi morbi ſi honoribus irritentur, & affluentibus
rebus quaſi ſubminiſtrata materia accen-
dantur, facile ſe produnt & augentur magis:
 vt planè argumentum ſit, qui in magiſtra-
 tu modum tenet & præclarè officium fa-
 cit, aut à vitioſis affectibus vacuum ani-
 mum ad Magiſtratum attuliſſe, aut animi
 vitia in ipſo magiſtratu, ſtudio & diligen-
 tia correxiſſe. Iſtud autè ſi in alijs functio-
 nibus verum eſt, tum verò in episcopali Episcopale
munus
quàm diffi-
 munere maximè locum habet. Eſt enim cile.
 reuera (vt notauit in Apologetico Nazi-
 anzenus, & poſt eum in cùra paſtorali
 Gregorius Magnus) *ars arrium & ſcientia* Part. 1. ca. 10.
ſcientiarum regimen animarum. Nempe
 hominem regere omnium animantium
 verſutiſſimum, & vita & moribus diuerſi-
 ſimum, in ijs porrò quæ ad Deum perti-
 nent, vt à natura ægrum, ita in curanda
 ægritu-

ægritudine difficillimū. Neque verò mi-
nor est in Episcopi persona habēda ratio,
quā in ipso opere adeundus labor. De-
bet enim Episcopus non tantū irrepræ-
hensibilis esse, nulli sceleri, nulli crimini
affinis, sed & multis præterea virtutibus
ornari, quas diligenter Paulus ad Timo-
theum describit, vt sit videlicet *sobrius,*
prudens, ornatus, pudicus, hospitalis, Doctor.

1. Tim. 3. Neque his etiam virtutibus mediocriter
ornari Episcopum conuenit, sed planè
excellenter & supra cæteros quoscunque.

Matth. 5. Sunt enim *lux mundi* vt præluceant cæte-

1. Tim. 4. ris, ait Saluator: *exempla fidelium sunt* (ait
Apostolus,) *in verbo, in conuersatione, in*
charitate, in fide, in castitate. Denique for-

2. Petr. 3. *ma gregis ex animo,* vt monuit Petrus. Ex
his autem omnibus & singulis si quic-
quam prætermiserit Franciscus Richar-
dotus Atrebatum semel Episcopus fa-
ctus, minimè eum à nobis laudatum ho-
diè existimate. Sin verò illa vniuersa cu-
mulate præstiterit, quid huius viri laudi ad-
di porro queat, non opinor expectabitis.

Ac virtutes primū quas flagitat Apo-
stolus, ita in hoc præstantissimo viro emi-
nerunt,

nuerunt, vt planè hoc nomine lux fuerit ^{Virtutes e-}
 mūdi, exēplum fidelium, & forma gregis. ^{ius in Ep̄o}
 Nā vt de sobrietate nihil hoc loco dicam, ^{scopatus}
 quā perperua victus moderatio & mixta
 semper tūm lectioni sacre, tūm sermonib^o
 alijs grauissimis, mensa, in qua semper ali-
 quid doctū, subtile, accuratū dicere vel au-
 dire voluit, satis superq; demonstrat: vt de
 ornata vitæ honestate, quam admirabilis
 morū comitas satis declarauit: de pudici-
 tia quā tota vita loquitur, nihil hic copio-
 sius agā, cū plarīsq; extra functionē tantā
 communes hęc virtutes sint, de prudentia,
 hospitalitate, doctrina, virtutibus magis
 Episcopo proprijs plenius dicendū arbi-
 tror. Enimvero quod in Episcopo vt diffi-
 cillimum est, ita maximè desideratur, sic
 prudētia in rebus gerēdis, & administrādo
 hoc tanto munere valuit, vt quæ maxima
 prudentiæ episcopalis pars est, nemo hoc
 viro fælicius atq; facilius singulis sese ho-
 minibus commodū præstiterit, nemini ta-
 mē aut turpiter adulatus, aut cū res ita
 postularet, correptionē debitā subtrahēs;
 planè alter Paulus, fact^o omnia omnibus
 vt omnes lucrifaceret, varius quoque ac
 multi-

*Lib. 6. de
sacerdotio.*

*August. de
fide & ope-
rib. cap. 5.*

Epist. 64.

multiplex, nō vtique dissimulatione mu-
 tabilis, sed accommodatione facilis, nec
 præmittēdo grauitatem, sed exhiben-
 do pietatem: omnino qualem describit
 Chrysostomus, *Pontifex grauis & cordatus,*
sed minimè fastuosus; venerabilis, sed huma-
nus; conspicienda quadam maiestate princeps,
omnibus tamen appellandis comis & integer;
officiosus denique ac humilis, sed minimè ser-
uilis; postremò acer & vehemens, mansuetus
nihilominus & iucundus. Talem Richardo-
 tum fuisse, omnes qui Richardotum no-
 runt, probè meminerunt. Quod quidem
 totum quantò difficilius fuit & studij ma-
 ioris, tātò & pulchrius & laudabilius fuisse
 quis dubitat? Iam verò in monendo, argu-
 endo, & corripiendo (quæ altera pruden-
 tiæ episcopalis pars est) sic modum tenuit,
 & moderatum se præbuit, vt habita ho-
 rum temporum planè infelicissimorum
 ratione, & canes in ecclesia propter pacem
 Ecclesia interdum toleraret, & canibus san-
 ctum, ubi pax ecclesie tuta erat, non daret. Vt
 qui ab Augustino suo didicerat, *seuerita-*
tem exercendam in peccata paucorum, monen-
dum verò, docendum, & ex scripturis commi-
mandum,

mandum, in multitudine peccantium. Quod quidem ille quam abundè & sedulò præstiterit, mox dicemus. Hospitalem quoque ac benignum, non cupidum non avarum esse vult Episcopum Paulus. Huius in Richardoto virtutis argumēta sunt frequentes eleemosinæ, non quidem vulgò & temerè factæ, sed pijs ac studiosis liberaliter impartitæ, mēsa quoque non sordida, nec magis quàm par erat magnifica, nec cuius obuia, nec bonis vnquam negata. Solus ceriè & absque Cleri testimonio domi nunquam cibum capere solitus fertur. Sed tenuiora sunt ista, & quæ priuatos parietes rarius egressa, commendationem istam publicam minus desiderēt.

Ad illud venio, quod vltimo loco Apostolus posuit, & quod tanquam maximè in Episcopo necessarium flagitat. Vult eum esse doctorem, & (quod in Epistola ad Titum addit) amplectentem eum qui sedum doctrinam est fidelem sermonē, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Paratus quoque semper (vt monet Petrus) ad satisfactionem, omni

Tit. 1.

1. Petr. 3.

B fide.

fide. Quo quidem in genere quam illustri & celebris hic noster Richardotus extiterit, quantum & sudauerit & effecerit, me sanè tacente, omnes intelligitis & vniuersum Belgiū compertum habet. Etenim in diuini verbi prædicatione, & populum pro concione docendo, nemo Frācisco Richardoto magis assiduus & laboriosus fuit, nemo maiore cum fructu, & populi utilitate docuit. Quis enim hoc loco admirabilē huius viri & propè diuinam dicendi vim, in disserēdo vbertatē, in persuadendo acrimoniam, in exhortando suauitatem, in deterrēdo verborum fulmen, in tota oratione accuratam & exquisitam eruditionem, pro auditorum tamē captu & loci & personarum ratione, nō dico satis pro rei dignitate exornare & illustrare, sed vel commemorando percensere & enarrare queat? Sanè quemadmodum in dicendi vi aureum illud Ioannis os facilè æquauit, vt in omnē partē auditorū animos mirabili facilitate flecteret, sic in doctrina sana siue hæresim profligaret, siue orthodoxiam stabiliret, argumentorū soliditate fortissimū Augustinum, sententiarū pondere &

*Quantus
Doctor &
Concionator
fuerit.*

*Facundia
eius incom-
parabilis.*

dere & grauitate suauissimū Ambrosium,
 verborū delectu & splendore elegantissi-
 mū Hieronymū pulcherrimè referebat;
 & ad viuū planè representabat. Hoc sanè
 oratiōis flumine, hac singulari faciūdia seu
 latine peroraret, seu in vernaculo pro sug-
 gestu ageret (in vtroq; enim sic excelluit,
 vt si gallicè declamātē audisses, literatas il-
 las linguas & exoticas neglexisse eū existi-
 mares, si in Romanū sonū lingua se verte-
 ret, latinū totū diceres, ita nihil peregrini
 sermo redolebat) sic in vtroq; hominū af-
 fectus mouit, delectauit, docuit, vt nō A-
 trebates tantū, sed tota Artesia, nec Ar-
 tesia solū, sed vniuersū Belgiū, nec mo-
 dō Belgiū, sed & Gallia, & Burgūdia: quid
 partes dico? sed totius Orbis clarissima lu-
 mina Richardorū, hoc nomine in summa
 admiratione & pretio haberēt, mirificè e-
 ius dicēdi suauitate delectarētur, maximā
 deniq; ex eius orationibus utilitatē cape-
 rent. Quot ille & quā assiduas singulis pe-
 nē Dominicis, aut Festis, domi cum esset, Assiduas
 eius in do-
 cendo.
 elaboratas & expolitas planeq; diuinas a-
 pud suos Atrebares cōciones habuit? Quis
 nescit, in more hoc illi his iam postremis

B 2 annis

annis fuisse, vt in celebrioribus illis Quadragesima, & Aduetus Dominici ferijs in sua passim diocesi, aut hinc (vt frequētius) Duaci, aut Bethuniæ, aut Armēterix, alijsve in locis perpetuò concionaretur? Quanta ille cum laude, quo etiā fructu, quàm sepius in Aula Bruxellensi, in plenis comitijs & corā summis principibus ad hoc sermō & multum expetitus, Diuini verbi semina sparsit, et huius suæ incomparabilis eloquentiæ Principum animis aculeos infixit, vestigia impressit, desiderium reliquit? Nec minori cum eloquentiæ & eruditionis fama & opinione iam à triginta annis Lutetiæ Parisiorum è superiori loco populum docuit. Quin & Louanij interdum, hortate Granuellano, sic olim concionatus est, vt etiam doctissimorum ibi Theologorum animos ad maximam suæ admirationem peneque stuporem concitaret. Bezuntij, verò in Burgundia potenti hac sua facundia dura sepeque reluctanti eius populi corda ad literarū amorem incendit, & saxea penè atque siluestria quum essent, ad disciplinarū cultum tanquam alter Orpheus inflexit. Denique in
his

his locis omnibus vbicunque serpentes
& aspides, hæreticos & sceleratos inuene-
rat, non sic obturare aures potuerūt, quin
huius Vlissis facundia, & voce incantantis
sapienter ad suauiore[m] mentem & me-
liorem frugem subinde plurimi reuoca-
rentur.

Penè pretermiseram, quòd in Sacro
& oëcumenico Concilio Tridentino co-
ram totius huius Christiani Orbis lumi-
nibus, in doctissimorum pariter & sanctis-
simorum Pontificum celeberrima coro-
na, de collapsæ disciplinæ restauratione
de orthodoxa veritate verbo & sanguine
tuenda, de Catholicæ Ecclesiæ maiestate
reparanda, de alijs multis rebus grauiissimis,
grauissimè copioseq; disseruit, & omnium
illorum patrum in se ora vultusque con-
uertit, admirationem excitauit, beneuo-
lentiam conciliauit. Quis verò maior aut
vberior huius eloquentiæ suæ fructus ex-
pectari potuit, quam quòd hac assiduitate
& industria docendi in Catholica & or-
thodoxa fide ouile suum (vndique lupis
grassantibus, & circumlattrantibus hære-
ticis) felicissimè contingerit? Neque verò

*In Concilio
Tridentino
quàm clarus
existerit.*

in publicis tantum cōcionibus (in quibus regnabat hic noster Richardotus) Doctoris munere præclarè functus est egregius hic Episcopus, sed & præterea frequentibus Synodis Atrebatu habitis in Pastorū ac Sacerdotū suæ Diœcesis mores ac doctrinā inquisiuit, de officio pastorali monuit, docuit, præceptis & legibus datis instruxit. Editis etiā varijs scriptis de Parochorū munere, de rebus hodiè cōtrouersis, & Pastores, & populum, & oues, & agnos, quia singulis adesse non potuit, absens docuit. Quotannis præterea ut minimum semel gregē suum passim per oppida & vicos præsens visitauit, quin & priuatim disserēdo ac persuadēdo nōnullos ab hæresi ad Catholicæ matris gremium reuocauit, & errātes per deuia oues in caulas reduxit. Verè bonus Pastor, doctus scriba, sapiens Architectus, fidelis paterfamilias, honorabilis vultu & consiliarius & prudens eloquij mystici, denique veneficus incantans sapienter, verè Doctor in populo, potens exhortari in doctrina sana, sal terra, lux mundi, exemplum fidelium, forma gregis. Talis ac tantus Episcopus

scopus

scopus Richardotus fuit. Tales autem deinceps, ut optare debemus, ita sperare vix possumus. Vix enim cum tanta eloquentia, tam solida & multiplex eruditio, aut cum utraq̃ue tanta motum comitas, & laudatissima humanitas, in vno homine infelicissimo hoc seculo reperiantur. Ferè enim aut loquutores egregij eruditionem solidam summis tantum labris attingunt, multiplicem prorsus negligunt, aut solidè & variè eruditi eloquentiã vel contemnunt, vel ad eam nati non sunt: plærumque verò quibus hæc insunt vel utraque vel alterutrum, præpostero & stultissimo fastu supercilium obducunt, tetrici & agrestes fiunt. Denique ut hæc omnia vni homini concedantur, rarissimè huiusmodi ad Episcopatus locū euehitur. Postremò ut vir tātus ac talis Episcopus fiat, otio plærumque ac inertix, beneficium nacti plærique se dedunt: concionandi, docendi, pascendi munus paucissimi strenuè per seipsos administrant. Quanta ergo, quàm singularis & planè diuina Atrebatensis Dœceseos, totius Artesiæ, Belgij & Ecclesiæ Dei hæctenus fælicitas

B 4 fuit,

fuit, Richardorum Episcopum habuisse, virum vndequaq; doctissimum, dicendi ac docēdi vi incōparabilem, moribus ac tota vita lōgè humanissimū, atq; suauissimū, laboris prēterea ac studij patientissimū, tāto hodierni luctus atq; Obsequij huius publici grauior causa nobis omnib⁹, quotquot hic adsumus huius ouilis grex, data est.

*Incredibile
eius studiū
in Academiā
Duacensem.*

Venio nunc ad extremā orationis meę partē, in qua de rebus Duacēsis agencū mihi video. Etenim vt vniuersum quidem ouile suum hic bonus Pastor, & literatos omnes hic vir doctissimus mirè dilexit, sic Academiā Duacenā in sua hac diocēsi feliciter collocatā vnicè cōplexus est, & arctiori quodā amoris vinculo & necessitudinis fædere sibi copulandā duxit. Hęc ergo omnibus quibus potuit modis cōmendauit, ornauit, iuuit. Quid enim ille non tētauit, quibus vnquam laboribus parsit, quam aliquādo occasionē prætēmisit, vt Vniuersitatem Duacēsem aut verbis amplissimis apud Principes viros sedulò cōmendaret, aut docēdo ac dicēdo ornaret, aut subsidijs & eleemosynis partim ipse, pro satis mediocri fortuna sua iuaret, partim

partim alios ad iuuādum subinde excita-
 rer? Hanc nēpe celeberrimā Academiā vt
 hoc loco statueretur, plurimū contendit,
 laborauit, perfecit Episcopus Richardo-
 rus. Hāc iam institutā in ipsa inauguratō-
 ne, primisq; Academiæ auspitijs splēdidis-
 sima habita oratione primus illustrauit, &
 cōsecrauit Episcopus Richardorus. In hac
 sacrā Theologiā & diuinæ paginæ inter-
 pretationē primus docuit, primus auspi-
 catus est Episcopus Richardorus. Quod
 quidē eius in auspiciatē tūc Academiam
 ornandā & fouēdam singulare studiū ita
 nobile & illustre fuit, vt hoc illi nomine
 Rex Catholicus Philippus scriptis ad eū
 literis magnas gratias impēsē ageret. Ne-
 que verò quo cæpit studio & amoris im-
 petu hāc Academiam profsequi, ab eo po-
 stea tota vita quicquā remisit, quin imò
 ad vltimū vsq; spiritum ea cōstantia hanc
 semper in delicijs habuit, coluit, observa-
 uit, vt (quod quidem sempiterna memoria
 & recordatione dignū est æreisq; tabulis
 inscribendū) iā triduo ante mortē vocato
 ad se Canonikorū Ecclesiæ suæ collegio
 toto, illis præsētibus amorem erga hanc

Academiam suam publicè testaretur, & quia sibi iam ex hac luce migrandum esse prospiceret, nec iam amplius ei adesse aut prodesse se posse cerneret, eos omnes vehementer rogaret, & plurimis verbis flentes iam & præ mærore vix ijs quæ dicerentur attendentes iterum atque iterum obsecraret, vt à futuro sibi in Episcopatu successore, suo nomine enixè peterent, hanc vt Academiam Duacenā pro commendatissima habere, & non minùs in Duacensis Academiae patrocinium, quàm in Atrebatensis Episcopatus dignitatē succedere vellet. Planè magis de Academiae salute, quàm de sua vita sollicitus, & ita erga eam affectus, vt nō ob aliud viuere, aut imminēs fatum declinare velle videretur, quàm vt nobis & huic Academiae Duacene prodesset. Cui quidē ei flagrantissimo in nos amori quid addi porrò possit nō video.

Et sic quidē vniuersam ille Academiam *Quo amore Scholā Theologicā complexus fuerit.* incredibili quodā amore ac fauore persequutus est. Scholā autē & studiū Theologicū præ cæteris adamauit, coluit, ornauit magnus hic Theologus & Episcopus Richardotus. In Schola enim Theologica primum

primum magisteriū & supremā Doctoratus laureā celebris ac piæ memoriæ Matthæo Galeno cōferens, ipsum Galenū sacræ Theologiæ tum professorē primariū miris laudibus extulit, præclara oratione ornauit. In schola Theologica frequēter ille, pro singulari sua in hoc sacrū studium propensione, totis mensibus docuit, legit, professus est, & Paulinas Epistolas admirabili facūdia, maiori eruditione, maximo studio & labore in Cathedra Theologica interpretatus est. Quam etiam frequēter & libēter disputa ionibus ipsis Theologicis interfuit, & omniū ac supremus Doctor, audire cum ceteris nō docere voluit. Comitria autē Theologica tum alia multa, tum illud in quo Doctores his postremis annis creatētur, non solum præsentia sua à principio ad finē vsq;, multarū horarū spatio honorauit, sed & illustri atq; accurata habita Oratione maximū illi decus atq; splēdorē attulit. Cuius quidē Orationis incredibili facūdia habitę, maxima eruditiōe instructę meministis etiā adhuc (opinor) quorquor adfuisse potestis, obliuisci certē nūquā poterit schola Theologica.

Taceo

Resp. Belgicae studii.

Taceo hinc quod inopes, afflicti & extorres Theologos frequē ibus eleemosynis iuuerit. Omitto quod in collocando hinc Theologorum atque Pastorum seminario, summo studio incubuerit. Nihil dico, qua sedulitate, alacritate, prudentia Vniuersitatis causas vel hinc, vel alibi rogatus egerit, patrocinium susceperit, honorem, priuilegia, ornamenta omnibus quibus potuit modis defenderit, conseruarit, auxerit. Præterea etiam, quæ plurima & maxima in huius præstantissimi viri laudem dici possunt, de incredibili eius circa publicam pacem, incolumitatem, salutem conseruandam, ad extremum vsque spiritum zelo, cura, labore: tanto sanè ve (qua authoritate, & gratia apud Principes viros meritò valebat) vniuersa hæc Respublica eius patrocinia in rebus arduis non semel experta, plurimi in magnis periculis ab eo conseruati fuerint, nonnulli etiam ciues vitam ei ac salutem debeant: vt verè pater patriæ, verè amator fratrum cum lamentante Ieremia, verè vir desideriorum cum orante Daniele, verè zelator domus Dei cum sanctissimo Elia, verè

currus

currus & auriga Israel cum fortissimo Eli-
 zeo dici possit ac debeat. Prætermitto de-
 nique prudens & sciens quæ de huius op-
 timi Episcopi maxima in Deum Religio-
 ne ac pietate penè infinita dici possunt:
 hanc enim virtutem in Episcopo cum A-
 postolo Paulo supponimus, non ostendi-
 mus. Si cui tamen ea de re quippiam au-
 dire libet, ei illud vnum instar omnium
 sit, quòd sanctissimum virum Abbatem Arcta ami-
 Aquicinensem nuper defunctum totius citia cum Io.
 (vt omnes norunt) sanctitatis, pietatis ac Lentallero
 Religionis ideam, non solùm intimè dile- Abb. Aquin-
 xerit vt fratrem, vicissimque ei vnicè cha- cinensem.
 rus fuerit, verùm etiam Episcopus cum
 esset, eum coluerit vt Patrem, veritus sit
 vt magistrum: nihil absque eius consilio
 & authoritate in rebus grauissimis statue-
 re, ipsius autem arbitrium, voluntatem,
 sententiã, pro oraculo semper amplecti,
 sedulò & diligenter exequi solitus. Sed
 hæc vt dixi omnia prætermitto. Sunt enim
 hæc notissima, neq; cõmemorari à me om-
 nia possunt, & tẽpus iam elapsum video.

Quare orationis vela contrahemus, &
 id vnum addemus, obsequium quidem
 istud,

istud, & quaecūque grati animi testimo-
 nium Vniuersitatem Duacensem Francisc-
 ci Richardoti virtutibus & meritis quàm
 libentissimè hodie præstitisse. Richardoti
 autem memoriam, & tam optimi paren-
 tis ac præstantissimi Episcopi recordatio-
 nem, ex Duacenzæ Academiæ animis &
 monumentis nunquam excidere posse. Si
 enim vir eloquētissimus, doctissimus, hu-
 manissimus, si Episcopus eruditissimus,
 optimus, vigilantissimus, si Academiæ hu-
 jus, imò totius Belgij parens quidam, pa-
 tronus & Mecenas amantissimus, diligen-
 tissimus & constantissimus Franciscus Ri-
 chardotus fuit: profectò nec virum doctis-
 simum celebrare, nec optimum Episco-
 pum venerari, nec Academiæ Dua-
 cenæ columen singulare, cole-
 re, prædicare ipsa Acade-
 mia Duacena vn-
 quam desi-

net.

D I X I



ORATIO
 FVNEBRIS IN LAV-

DEM R. D. IO. LENTAL-
 LERII ABB. AQUICINCT. DVACI,
 EX MANDATO SENATVS ACADEMICI,
publicè habita. Febr. 19. An. 1574.



I quo primùm die, diuinis pla-
 nè auspicijs & fauente numi-
 ne celeberrima hæc Academia
 Duacena aperiri & celebrari
 est cæpta, eodem die vt id populo Duace-
 no, toti Belgio, atque vniuersæ Ecclesiæ
 Dei faustè, sæl citer, prospereque eueni-
 ret, à Deo Opt. Max. more institutoque
 Maiorum precati sumus, (Mag. D. Rector,
 clariss. D. Doct. Doctiss. & humaniss. Au-
 ditores) profectò hoc die, vt vestræ om-
 nium mentes atque sententiæ cum auspi-
 cijs illis Academicis votisq; consentiant,
 eaque res vobis, toti que Academiæ, pa-
 cem, incolumitatem, honorem, & optata
 incrementa afferat, ab eodem Deo Opt.
 Max. idem precandum censeo. Etenim si
 illa solennis initiorum precatio, Acade-
 micis auspicijs votisque cõsecrata, tantam
 habet in se vim & religionem, quantam
 Acade-

Academiæ dignitas postulat; ijs sanè hominibus, per quos hæc Academia, aut faeliciter hæctenus stetit, aut mirabiliter creuit, maximaque cepit incrementa, vt idem tota Academia solemnibus votis cõpreceatur, & summa ratio, & ipsius Academiæ dignitas postulat. Nam optare quidem Reip. omnia faustissima atque lætissima, solenne & omnium est: Viros quoque fortissimos, quorum opera & labore, consilio & auxilio, aut florere cæpit, aut creuit Respub. præsentis ac viuos venerari, colere, obseruare, penè omnium est, & qui secus fecerunt perpetua grauissimaque ignominia nota apud totam posteritatem laborarunt, vt Athenienses, qui Aristidem iustum ciuitate expulerunt, Themistoclis præclara facta exilio damnarunt, Socratis sapientiam morte mulctarunt: Vt Romanos taceã, qui Scipionibus suis sepulchra Romana negarunt. At verò qui Reipub. suæ columnina viua colerent, mortua atque defuncta nullo studio atque honore prosequerentur; aut nunquam hæctenus extitisse, aut si vsquam extiterunt, pro monstris & portentis hominum habitos

bitos fuisse existimarim. Nam viuos sanè Reipub. parentes & patres patriæ, non colere, despicerè, ingrati animi est; mortuos sine honore præterire, etiam astuti: vt videlicet dum viuos colimus, mortuos despiciamus, præsens quidem beneficium cupidè complecti, adepti autem beneficij nulla gratitudine affici, & (quod sordidorum est proprium) non honestate, sed vtilitate rem metiri videamur.

A qua quidem ingratitude & astutiæ sordidæque dissimulationis nota, vt celeberrima hæc Academia quàm longissimè se abesse illustri testimonio doceret, quo studio, fauore & honore, sapientissimi viri Ioannis Lentallerij Monasterij Aquicinct. Archimandritæ nuperrimè dignissimi, adhuc viuentis optimos conatus semper est prosequuta: eodem hodiè, & quidem nō minori, defuncti memoriam prosequitur: tum vt virum optimè de se meritum digna celebritate honoraret, tum verò vt quibus ipsa Academica auspicia votis precibusque cōsecrauit, eisdem eius hodie incrementa publico hoc celeberrimoque

C moque

moque suorum omnium conuentu commendaret. Duæ enim (vt ego quidem accipio) hodiernæ huius celebritatis causæ sunt: Optimi Mecænatis defuncti memoria: & similibus Mecænatum optata successio. Quorum alterum atque postremum votis & precibus omnium tacitè hodie commendatur, vt Deus Opt. Max. qui singulari beneficio hunc nobis præstantissimum virum dedit, complures Lentallerios Academia huic dare porrò pergat, eodemque fauore incrementa ista ad culmen euehat, quo ipsa initia ad præclara hæc incrementa perduxit. Alterum & tota ista sacri muneris operatio religiosè præstat, & hac præterea oratione publica cumulatiùs præstari placuit. Quam quidem publicè perorandi, & sapientissimum hunc Archimandritam dignis laudibus exornandi prouinciam humeris meis, licet ad hoc onus imparibus & parum suffultis, à Magnificentia sua clarissima, totoque ornatissimo Senatu Academico impositam, vt pro tanti viri dignitate, pro ipsius Academiae desiderio, pro

rio, pro

rio, pro meo quoque in vtrumque of-
ficio & obseruantia, quantum quidem
in me est, obeam atque perficiam; sic
rem ipsam aggrediar, vt id ante om-
nia præmoneam, ne quisquam vel de sa-
pientissimo hoc Abbate tam tenuiter co-
gitet, vel de nostris viribus tanta sibi pro-
mittat, vt eius viri admirabiles virtutes
ac dotes omnes hac nostra qualicunque
oratione comprehendere tantum & enar-
rari, non dico illustrari & exornari pos-
se existimet. Neque enim vel tam exi-
gua scapha tanti Maris altitudinem e-
metiri, vel tam obtusa oculorum acie
ita rutilantem Solem continus intueri
valeam. Planè longissimè superat & no-
stras dicendi vires & cogitationis meæ
aciem, sanctissimi huius Abbatis ingens
quidam rerum bene gestarum Oceanus,
& cælestium virtutum splendidissimum
iubar. Neque verò in hac causa me vin-
ci quicquam pudebit, nisi fortè præ-
stantissimi viri gloriæ inuidere velim,
cuius tanta est virtus, vt omnem illam
orationis copiam vehementer exuperet.
Id tantum metuo, ne pro vestro erga il-

lum studio, qui virum laude dignissimum tenuiter laudatum, ægrius fortasse feretis, vt parentum non satis iusta encomia dolenter audiunt germani filij, expectationi omnium vestræ minus satisfecero. Sed huic sanè seu timori meo, seu desiderio vestro, illud remedij facile adhiberi potest, si quia de rebus pariter compertissimis dicturus sum, quæ ego fortasse prætermisero, ijs quæ à me dicentur adijciat vnusquisque de suo, atque ita ex simul cõiunctis vestris & meis, quasi ex diuersis floribus, contextam laudum coronam huic Sacro Capiti imponamus; vt etsi à me parum laudatus, tamen à nobis simul omnibus laudatissimus hodie celebrerur.

Narratio.

Eccecirco vt ad rem ipsam accedam, cogitanti mihi attentius vnde potissimum huius viri laudes exordiar, aut quo primùm nomine eum prædicem, idem planè accidit, quod in amænissimo horto constitutis euenire solet, vbi maxima florum varietas & aspectu iucundissima, & odore suauissima, huc illucque spectantium oculos attrahit, vt quem primùm carpere, aut
cui in-

cui insistere libeat, dubius planè animus
pèdeat, ambigat, fluctuet, hèreat. Est enim
verè Paradisus quidã omnium virtutum,
& pratum amœnissimum huius viri vita,
qui verè dum viueret, bonus odor erat
Christo, odor vitæ ad vitam, qui lux erat
splendidissima, sic lucens corã hominibus,
vt viderent eius opera bona, deumq; glo-
rificarent, quotquot aut eum de facie no-
runt, aut de eo per famam acceperunt. Sol
inquam erat & luminare quoddam ma-
gnum in hoc mundo. Quid Solem dico?
ipso vniuerso cælo hoc aspectabili, multo
splendidior atque illustrior erat huius viri
vita. Neque verò per hyperbolem hoc à
me quisquam dictum putet. Quin vt me-
cum idẽ omnes sentiatis, facilè effecero.
Quot enim impij quum cælum hoc in-
tuentur, astra & sydera omnia conspiciunt,
blasphemant nihilominus, non erubescunt,
non confunduntur? At quis tam per-
frictæ frontis vnquam fuit, qui Ioannis
Lentallerij conspecto vultu, ipsa totius
virtutis & sanctitatis idea, qui hunc, in-
quam, Abbatem sapientissimum coram
intuens, religionis cultorem maximum,
C 3 honesta-

honestatis & pietatis exemplar vnicum,
grauitatis & prudentiæ specimen singu-
lare, multiplicis eruditionis arcam &
thesaurum quendam locupletissimum,
patientiæ, castitatis, humilitatis totiuf-
que sanctitatis expressam effigiem, om-
nium denique virtutum atque charis-
matum (singulari & rarissimo Dei mu-
nere) Pandoram quandam, nec coram
intuens tantum, sed & eius suauissima
eloquia, dulciora super mel & fauum,
auribus accipiens, penitus atque è ve-
stigio de seipso non erubesceret, non
confunderetur, non sibi ipsi vehemen-
ter displiceret? Sed singula fortasse ma-
gis audire libet, ne dum generalia lo-
quimur, minus huic viro propria dice-
re videamur. Agamus ergo, & vt om-
nibus virtutum ac charismatum nume-
ris absolutissimum hunc virum fuisse o-
stendamus, optemus tantisper illa quæ
huiusmodi aliquem constituere possint
atque efficere. Sanè & omnia huic præ-
clarissimo Abbati affuisse reperiemus, &
nihil in eo mediocre, sed omnia sum-
ma extitisse animaduertemus. Ego verò
nullo

nullo modo ea bona hinc conſectabor, quæ ſolida & vera bona non ſunt. Non ex generis aliqua nobilitate, non ex diuitijs & opulentiffimi illius Monafterij Præfectura, non ex gloria quæ illas potius quàm veras virtutes hodie comitari ſolet, eum prædicabo. Ne ſi nobilem, diuitem & honoratum dixerò, vos ita hinc diſcedatis, vt hæc inter bona me authore habeatis, & fluxa hæc atque caduca, ne dicam noxia plærumque atque lætifera, admirari, & in pretio habere ex hac oratione noſtra diſcatis. Verùm inde laudis in eo materiam capiam, vnde & ipſe iuſtiſſimè laudari debeat, & vnusquiſque noſtrum quod imitari poſſit, merito & tuto deſumat.

Quid ergo, aut quæ potius tandem illa ſunt, quæ hominem Chriſtianum, id eſt, veræ Religionis cultorem omnibus virtutum numeris abſolutiſſimū reddunt? Optandum ſanè erat, huiusmodi virum primùm ſumma in Deum charitate flagrare, deinde ne ſibi ſoli utilis eſſet, non minori erga proximum dilectione affici. In his enim duobus (ait ipſa

Fit Monachus.

Veritas) tota lex pendet & omnis iustitia adimpletur. Charitatis in Deum, quod maius aut argumentum, ut adesse probeatur, aut exercitium ut quum adsit conferuet, aut deniq; adiuventum ut magis ac magis augeatur, esse potest, quam ut (quod Saluator monuit) relictis omnibus in saeculo, eum solum sequamur? Hoc verò ab ineunte ætate ita fecit, ut iuuenis adhuc portaturus iugum Domini ab adolescentia sua, Monachum se professus fuerit Ordinis S. Benedicti, idque in Cænobio Aquicinctensi, huic nostro Duaco felicibus sanè auspicijs vicinissimo. In hac professione quàm se turpi orio minimè dederit, aut corruptos tunc aliorum mores sectatus haud fuerit, & tota reliqua vita clarè loquuta est, & illius adhuc ætatis studia luculenter demonstrant. Ingenij enim acumine singulari præditus Lutetiam Parisiorum mittitur literarum causa, quas ille (ut mox dicemus) non oscitanter audiuit, sed summo studio perdidicit. Inde ad Monasterium reuocatus, tanta & Religione & prudentia se gessit, ut per omnes inferiores officiorum gradus conscendens, ad su-

ad supremam tandem eius præfecturam
omnium consensu, incredibili studio, &
maxima bonorum omnium expectatio-
ne eueheretur. Quo quidem loco consti- *Fit Abbas.*
tutus, vt solum purumque Dei amorem
sibi perpetuò in tota hac monastica sua
professione, ante oculos propositum fuis-
se omnes intelligerent, omnesque eius
conatus, cogitationes, studia in hunc vnum
scopum dirigi, & hac vna regula vt nau-
clerum inspecta sua Cynosura, duci &
flecti illum, exploratum omnes haberent;
nec de ditandis parentibus, nec de ornan-
do speciosis ædificijs Monasterio, non de
dilatandis fimbrijs cogitat, meditat, mo-
litur, sed (quod ardētissimis votis diu mul-
tumque, quum adhuc Prior esset, expeti-
uerat) statim ac primo quoque tempore,
assumpto sibi in hunc finem Priore, viro
sanctiss. pariter ac doctissimo fratre Dyo- *Reformator*
nisisio D'ostrelisio, in sui Monasterij refor- *Monasterij.*
mationem, in collapsæ disciplinæ restaura-
tionem, in Regulæ D. Benedicti veram at-
que legitimam obseruationem, omnes
cogitationum & studiorū suorum vires,
cōuertit. Quam quidem rem arduā licet,
C 5 alijsque

Monasterij
Aquicin-
tensis vera
laus.

alijsque permultis impossibilē visam, qua pietate & constantia aggressus est, eādē felicitate atque virtute confecit. Adeo sanè vt à compluribus iam annis Aquicinctense illud Monasterium ita pietate, humanitate, eruditione, omniq̄ue vera Religione ipsorum Cænobitarum fulgeat atque resplendeat, vt sit sanè inter cætera sui ordinis Cænobia quasi inter planetas Phæbus, aut stellas inter Cynosura minores. Cuius quidem vnus rei historia si ante oculos hîc vestros poneretur, huius sanè viri & zelū Religionis flagrantissimum, & in laboribus sustinēdis indefessum animum, & in re tam ardua perficienda (vbi consuetudo rem penè in naturā verterat) prudentiam admirabilem, nō sine stupore inspiceretis. Verūm istud pertractare, huius loci nō est, ac multò minus huius temporis. Itaque Charitatis eius in Deum argumēta sunt ista plenissima, vt nihil de priuata eius & quotidiana deuotione, nihil admirabili eius & planè diuina rerum diuinarum assiduaq̄ue (quum per negotia liceret) contemplatione, nihil de vitæ eremiticæ frequenti desiderio hoc loco dicā.

Nam

Nam quæ de altera nunc eius erga proximum charitate dicemus, illius quoque in Deum amoris, certissimi & locupletissimi testes esse possunt. Etenim Abbas factus nihil prius neque antiquius habuit, quàm ut ingens illa sumptuum inanissimorum (ut mollissimè dicam) parsimonia, quæ ex facta illa reformatione Monasterio accessit, in pios atque pauperum usus tota cõuerteretur. Itaquæ præter quotidianas & priuatas eleemosynas, quæ quotannis ad aliquot florenorū millia excrescere solebant, ad publicas etiam iuuandas necessitates, & non ad Monasterij tantum sui, sed ad totius Belgij reformationem (quantum in ipso erat) sic animum applicuit, ut primùm quidè in villa sua Pechen-curtesii Gymnasium celebre erigeret, magistros & præceptores aleret, qui eius municipij ac vicinorum pagorum pueros ac iuuenes honestissimè in bonis literis, ac maximè in pietate ac catechesi Christiana erudirent, instituerent, formarent. Deinde verò huius celeberrimæ Academiae hoc in loco à Maiest. Catholica instituendæ non solùm magna ex parte

author

Maxime eius eleemosyna.

Gymnasium in villa sua constructum.

author fuit, sed cum illa crescere non nihil cepisset, imò certè in ipsis suis cunabulis tanquam fœtus abortivus ad interitum spectare videretur, eiusdem denuò restaurandæ, fouendæ atque exornandæ, sic secundus author fuit, vt profectò quæ postea accesserunt hodieque conspiciuntur incrementa, illi viro magna ex parte libenter & ingenuè accepta referamus. Ipsius enim incredibili quadam liberalitate, seu magnificentia potius, nobilissimum hîc quod videmus Gymnasium, Seminarium siue Collegium à fundamentis extructum est: nec extructum tantùm, sed ita præterea bona ex parte donatum atq; dotatum, vt Præceptores ac Magistros illud nunc habeat, omni & eruditione & pietate præstantissimos, habiturum quoque in posterum semper sit, quantum humana coniectura & spe assequi liceat, posito illic videlicet atque fundato patrum Societatis nominis Iesu perpetuo Conventu. Cuius quidem Societatis vt nunc vberrimos & amplissimos fructus cernimus, ita eosdem quàm diutissimè duraturos nō nisi piè sperare possumus. Hîc ego
verò

*Collegium
Duaci à fun-
damētis ex-
tructum &
dotatum.*

verò excurrere liberius & exspatiari orationem sinerem, nisi non tam hunc Abbatem sapientissimum, quàm ipsam Societatem loco & tempore non suo, laudibus prosequi viderer. Quamquam sanè quicquid Academiae, quicquid populo Duaceno ex eius Societatis opera fructus accedit (accedit autem quātus dici potest maximus) id totum in huius Lentallerij nostri laudes vertitur: cuius vnus & studio singulari, & liberalitate maxima, illa Societas stabilem hīc pedem Duaci fixit. Sed vt de illa taceam, Collegium ipsum numerosa iam iuuentute plenum, & aliquot studiosorum centenarijs (vt audio) refertum, pluribus olim (annuente Deo) replendum, huius profectò sapientiss. Abbatis in Academiam Duacensem studij, in Remp. Belgicam animi, in Ecclesiam Dei pientissimi zeli documentum erit & monumentum sempiternum. Quod quidem singulare & summū beneficiū vt Ecclesia Dei magno cum fructu suo semper meminert, vt Respub. Belgica perpetuò profitebitur, ita Academia Duacena summo semper studio atque animi gratitudine

reco-

recognoscet. Eiusdem præterea conatus
 atque profectus omnes, quantum in se e-
 rit, & per fidem & Religionem licebit,
 perpetuo favore se prosequuturam, om-
 ni consilio & auxilio ei affuturam eadem
 Academia publicè profitetur, pollicetur
 & spondet. Hæc fuit ergo sanctissimi viri
 in proximos charitas, in publicum bo-
 num iuuandum, augendum & conser-
 uandum pietas. Qua certè maiorem no-
 stris his temporibus repertam fuisse, aut
 reperiri posse tunc dicemus, quum eius
 Ordinis quispiam, propter publicum A-
 cademiæ & Reipub. bonum, pares sum-
 ptus fecerit, simile monumentum ere-
 xerit, eadem denique pietate, constan-
 tia, prudentia rem totiam administra-
 rit.

Sed venio ad alia, licet inuitissimus
 hunc locum abrumpo. Summa quidem
 virtus charitas est, sed ea nisi ordinata sit,
 & fructu caret, & interdum perniciem
 adfert: sicut in illis qui zelum Dei ha-
 bent, sed non secundum discretionem.
 Itaque absolutus hic meus Lentalle-
 rius non erit, nisi huic duplici charitati
 singu-

singularem prudentiam, quæ omnium Singularis
eius Prudē-
tia.
 virtutum mater & moderatrix est, adiun-
 xerit. Illa verò quanta in hoc viro fue-
 rit, quàm perspicaci & sagacissimo in-
 genio cuncta administrarit, me sanè ta-
 cente, & omnes intelligitis, & ipsa o-
 pera loquuntur. Hac enim diuina qua-
 dam prudentia, omnia domi sapientissi-
 mē moderabatur, vt eo Abbate, sum-
 ma pax, nulla vel minima animorum
 dissensio in cænobitis appareret: pluri-
 ma foris etiam à maximis viris consul-
 tus, ingenio & industria fælicissimē tra-
 ctavit, disposuit, confecit. Magnum ve-
 rò & illud in eo prudentiæ argumentum
 erat, quòd in tantis & tam varijs eius
 consilijs, operibus, rerumque admini-
 strationibus, nunquam eum rei gestæ
 pænituerit, nunquam consilium semel
 captum mutauerit, & (vnde adeo hæc
 constantia profecta est) nihil vnquam
 temerè concesserit, ne quidem in re
 honestissima, & etiam ab amicissimo
 interpellatus: hoc perpetuò pro more
 habens, vt rogatus quippiam diutissimè
 audiret, tardè concederet, constanter
 & hila-

& hilariter semel cōcessa pręstaret. Quante
 tē verò istud & quàm admirabilis prudenti-
 tię in tanta negotiorum varietate domi
 forisque; domi, Religionis cura, suorum
 sollicitudine, diuini cultus assiduitate; fo-
 ris autem, cogitationum, consiliorum, o-
 perum mole potius quàm magnitudine,
 eundem se tamen semper virum sic in
 omnibus pręstitisse, & vtrique muneri ita
 satisfecisse, vt nec domestica pietas & pri-
 uata deuotio, externarum rerum curam
 excluderent, nec externarum cura priua-

*In Apologe-
 tico.
 Homil. 5. de
 laudibus
 Pauli.*

tam obrueret. Vir sanè vt eum qui pręesse
 debet describit Nazianzenus, & Aposto-
 lum Paulū perfectè fuisse, ostendit Chry-
 sostomus, & simplex & varius: rectitudine
 & integritate animi, idem semper ac sim-
 plex; varius tamen ac multiplex, iuxta cu-
 iusque rei & personę proprietatem, om-
 nibus cōmodus, aptus, idoneus. Sic enim
 inter perpetuas sollicitudines, quas pręter
 domesticas & necessarias, vt quàm pluri-
 mis prodesset, ipse sibi innumeras asciuit,
 pacato semper animo cōstitit, vt quod de
 S. Antonino Archiepiscopo Florentino
 legimus, sic vir iste reconditum quendam

& oc.

& occultum mentis angulum intactum In vita eius
apud surio
mēse Maio.
semper haberet, solique Deo d. carum, ad
quem negotiorum itrepitus & curarum
anxietas itrepere & penetrare nō posset:
sed ubi à negotijs destitisset, sine vlla sui
perturbatione aut immutatione, eò tan-
quam ad asylum paratissimum se recipe-
ret, & ad interiorem hominem veluti qui
profectus esset, quasi domū rediret. Nem-
pe quum duæ sint partes totius humanæ
in hac vita perfectionis; Contemplatio &
Actio, Deū purè colere, & proximis pluri-
mum prodesse; sic vtramque hic noster a-
deo que perfectissimè complevit, vt nemo
illo sanctior, religiosior ac magis in Deū
pius, nemo publicæ vtilitatis studiosior,
nemo in iuuādis quàm plurimis liberalior
extiterit. Sic tamen in vtroque versatus, vt
alterum alteri (quod sæpè per impruden-
tiam fit) non obesset, sed contra (qua erat
prudentia singulari peneque incompara-
bili) alterum ex altero mirificè iuuaretur,
studiū proximi pietatē in Deum acueret
& exerceret, hæc rursus pietas ad illud
studiū perpetuo stimularet; vt hæc illi cal-
car esset, huic illud cotis officiū præstaret.

D Sed

Præclara eius eruditio.

Sed tempus præterlabi video, quod singulis immorari non patitur. Idcirco breviter quæ supersunt expediam. Quid aliud in viro præstantissimo, & Abbate dignissimo exoptari potuit? Virum optimū iam fuisse & prudētissimum, demonstravimus. Sed indoctum fortasse & illiteratum putabis. Imò verò non tantus erat literarum amator, licet amator maximus, quàm erat literarum cultor studiosus, & in omni doctrinarum genere egregiè versatus. Quod certè à me hoc loco in tanta doctissimorum virorum corona silentio prætereundum non est. Nempe præter Latinæ linguæ cognitionē, vsumq; eius expeditum & elegātem quo eum plurimum valuisse omnes scimus, etiam in Hebræa lingua non nihil, in Græca plusquam mediocriter illum versatum fuisse, privatim cognovi, quum in eius olim Monasterio agēte me, his de rebus mecum sepe differeret. Sacræ verò literaturæ ita sciēs erat, vt non solum in S. Scripturis & S. Patribus præclarè versatus, sed & scholasticorum Doctorū subtilitates diligēter scrutatus fuerit, eorumque sentētijs accuratè obseruarit. Id quod

in tre-

in frequentibus subinde in mensa sua disputatiunculis, quum hospites interdū abessent, ita declarauit, vt de sententijs scholasticis, non solum acriter differeret, sed & allatis ex tempore libris, & designatis locis, suam sententiam confirmaret. Id quod presens sepè ipsemet vidi, & ab alijs sepius factum esse intellexi. Habuit præterea vic doctissimus priuatam & instructissimā Bibliothecam, in qua se quū per negotia liceret, libētissimè exercebat: vt taceā quod semper in mensa aliquid doctum ex antiquioribus plærūque Patribus legi voluit. Deniq; ita cum doctis viris doctè agebat, & de rebus literarijs eruditè ac promptè differebat, vt eum virū, qui illum non nōscent, solis suis libris affixum esse crederēt. Illud profectò admiratione dignum mihi semper visum est, vt vir iste sapientissimus in eadem sæpissimè mensa, in maxima hospitem (vt fit) varietate, cum viris doctis doctissimè, cum nobilibus viris prudentissimè, cū pijs & religiosis sanctissimè, cum rudioribus humillimè & mansuerissimè, eodem ferè temporis puncto differeret, sermonesq; cōferret, vt verè alter Paulus

D 2

omnibus

omnibus omnia factus esset, Iudæis Iudæus, Græcis, Græcus, Barbaris barbarus, non prætermittendo decorum, non deserendo grauitatem, sed omnibus impartiens pietatem.

Ac illustria quidem sunt ista, & in sapientissimo Abbate præclara virtutû ornamenta. Sed quia Christianum virum, id est, veræ Religionis cultorem perfectissimum, & omnibus suis numeris absolutissimum describimus, his quæ dicta sunt minimè contêtos esse oportet. Neque enim præclara tantum egisse, sed & fortiter pro Christo aduersa pertulisse debet, qui viam illam arduam & angustam planeque perfectissimam ambulasse probabitur. *Omnes enim qui piè volunt in Christo viuere, pati in hoc seculo persecutiones oportet, & tunc demum cõglorificabimur, si cum Christo compatimur.* Nec aliunde Apostolus Paulus *ministerium se Christi esse plus alijs confirmauit, quàm ex varijs & innumeris calamitatibus quas perpeffus fuerat, in laboribus pluribus, in plagis supra modum, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, in labore & ærumna: de his, inquit, gloriabor. Virtus enim in infirmitate perficitur.*

2. Tim. 3.

Rom. 8.

2. Cor. 6.

perficitur. Hanc verò perfectionem in Abbate isto sanctissimo defuisse, arbitramur? Imò vero ita plenissimè adfuit, ut non eum inferiora quàm plurimis gloriosis Christi Martyribus tormenta subiisse, ac animo fortissimo tolerasse, crediderim. Nempe ab annis iam ferè viginti, ab ipsa hac inita Monasterij sui Præfectura, ita perpetuis cum morbis conflictatus est, morbo autem articulari, acutissimo atque grauissimo, ut sanitatem suam, quia raram & breuem, *Inducias* vocare lepidè & apto vocabulo solitus fuerit. Hunc enim illi morbum quasi assiduum & intestinū hostem Deus dedit, qui eum præclarè exerceret, qui ut Paulum angelus Satanæ colaphisaret, qui eum tanquam aurum in fornace exploraret, Deoque suo animam purissimam & ab omni labe plenissimè desecatam sifteret & exhiberet. Sanè vir iste pientissimus, ut de Tobia legimus, *quia ac.* Tob. 12. *ceptus erat Deo, necesse fuit ut hac eum tentatio probaret.* Et probavit ita quidem, tantulque factus est cum tentatione prouentus, ut in medijs ac summis doloribus, vix ab eo gemitus, nisi quem vis morbi expressisset,

Incredibilis
 eius toleran-
 tia.

*Nota insi-
gnē pietatē.*

pressisset, audiretur, imò sapientissimè in
 extremis morbi aculeis philosopharetur;
 quòd si vel verbulum asperum fortè exci-
 disse, semetipsum vehementer statim in-
 crepabat. Sanè posita ad lectuli pedes
 Christi Saluatoris torcular calcātis imagi-
 ne, ita in eā mentē oculosq; inter medios
 cruciatus defixit, vt dolore proprio post-
 posito, densas lachrymas effundere, Chri-
 sto cōpassus aliquādo visus fuerit. Vt nihil
 profecto vel huius viri tormētis grauius,
 vel eius incredibili patientia illustrius vi-
 deatur. Accessit ad has omnes virtutes tā-
 quam ad ingentē cumulū noua perfectio,
 singularis & perpetua animi humilitas,
 laudum fuga, gloriæ præsenris cōtemptus
 maximus. Cuius quidē rei argumēta infi-
 nita, si per tempus liceret, commemorare
 hīc possem. Sed hoc sanè totū, & admira-
 bilis eius morum comitas, & Collegij sui
 rarissima eaque clancularia visitatio, nulla
 suū vnquam ostētatio, quòd nihil denique
 vel in Collegio suo, vel alibi ad pompam,
 sed omnia ad quā maximam aliorū utili-
 tatē extruxerit, satis superq; demōstrauit.

*Divina eius
humilitas.**Epilogus.*

Quòd si ergo is demū cumulatissimè
 perfe-

perfectus & omnibus numeris absolutif-
simè pius meritò censebitur, qui charitate
in Deum flagrantissimus, amoris in pro-
ximū studioliſſimus, zelator domus Dei
& morū reformator maximus, pauperū,
piorum, ac boni publici fautor liberaliffi-
mus extiterit, qui prudētia singulari om-
nia administrarit, eruditione multiplici il-
lustris fuerit, nec minori fortitudine ad-
uersa perpeſſus quā stabili moderatione
secunda disponens, humilitate postremò
perfecta præditus: erit profecto is ipse sa-
piētiffimus hic noster Abbas Ioānes Len-
tallerius. Qui pietate quidē & religionis
cultu sinceriffimo, nō alter tārū nostræ
ætatis Bloſius extiterit, sed & ipsos Anto-
nios, Hilariones, Macarios, Pachomios,
Sabas, propemodū æquarit: certè boni pu-
blici studio, liberalitate, munificētia, eru-
ditione, prudentia, Benedictos, Mauros,
Gregorios nobis referat, & sua præstantia
vitæq; sanctitate antiquorū temporū desi-
deriū lenierit, præſentiū temporū corru-
ptiffimos mores plurimum correxerit, &
densiffimā eorū caliginem, sua claritate &
vniuerſa quadā virtute mirificè illustrarit.

D 4

Cui

56 *In laudem Abbatis Lentallerij*

Cui quidem viro vt hodie gratitudinis ergo vniuersa Academia conuentu hoc celeberrimo hæc iusta persoluit: ita vt alterum huic similem Deus Optimus Maximus Academiae resuscitet, communibus votis precatur & exoptat.

D I X I.



ORATIO
 FVNEBRIS ET PA-
 NEGYRICA IN LAVDEM
 MATTHAEI GALENI ACADEMIAE
 DVACENAE CANCELLARII, PRAEPO-
 siti D. Amati & S. Theol. Professoris Pri-
 marij, in Scholis Theologicis habita die S.^{ta}
 Matthaei. 1573.

SCRIBIT Plutarchus Chero-
 nex, Themistoclem Athe-
 nensium Ducem & Impera-
 torem celeberrimum, quum
 in Olympiæ celebritate omnes omnium
 oculi contemptis certaminibus in illum
 vnum praesentem essent conuersi, in eo-
 que spectando diem totum consumpsis-
 sent, & eum cum plausu & admiratione
 peregrinis & aduenis ostendissent, digito-
 que demonstrassent, lætum ad amicos di-
 xisse, eo die suorum omnium laborum,
 quos pro Græcia suscepisset, fructum se
 amplissimum reportare. Fuit enim id gra-
 tianimi tam celebre & publicum testi-
 monium nobilissimo Duci meritò longè
 gratissimum. Tantundem hodie (Magni-
 fice Domine Rector, clarissimi Domini
 D S Docto-

Doctores, Amplissimi & ornatissimi viris
doctissimi & humanissimi Auditores) in
hoc frequentissimo confesso vestro, in
hac attentione & expectatione omnium
vestrum, in his oculis, his animis vestris,
celeberrimus Duacensis Academiae Pro-
fessor & Cancellarius Matthæus Galenus
& animo ad amicos præsens, & voce per
amicum absens, lætissimus dicit, se hodie
laborum suorum omnium, quos pro ce-
leberrima Duacensi Academia suscepit,
fructum amplissimum reportare. Hodie
enim videt, in se vnum vestra omnium
ora vultusque conuersos: ad se vnum con-
tuendum, admirandum, laudibus cele-
brandum, quicquid doctum & nobile
Duacum habet, confluisse: de se vno
quia dicendum erat, relictis curis omni-
bus, omnes huc excurrisse. Neque enim
mihi vnquam persuaserim, vt dicentem
quem cernitis audiretis, sed vt absentem
quem desideratis spectaretis, eo sanè quo
solum iam licet modo, præclara rerum
gestarum recordatione, in hunc locum
frequentes vos conuenisse. Nempe faci-
lè cogitastis, de Matthæo Galeno dictu-
rum

rum

rum nihil nisi præclarum, illustre, & auribus vestris ut propter rerum magnitudinem dignissimum, ita propter benevolentiam in eum vestram, iucundissimum dicere potuisse. Quemadmodum enim qui gemmas aut aurum distribuit, nihil (quantumuis det exiguum) nisi pretiosum & porrigentis manu dignum dare potest; ita rectissimè iudicatis, de præstantissimo Theologo & optimo viro Matthæo Galeno dicere volentem, nihil tenue, exile nihil, aut hac attentione vestra indignum afferre in medium potuisse. Sic & in pretiosis vnguentis, non tantum si quis totâ effundat hydriam, verum etiam si quis vel summis digitis superficiem attingat, & aërem nouo calore asperfit, & quotquot adsunt, suauitate fragrantia repleuit. In rebus enim præstantibus etiam modicum delectat, iuuat, illustrat.

Itaq; præclare se res habet. Vestra expectatio Galenus est: mea oratio Galen^o est. Dolemus oēs, quòd vix etiã intimis salutatis amicis decesserit, quòd abripuerit eũ vis morbi prius lætiferi quàm vulgò cogniti, quòd deniq; mortuũ iã nobis cernim^o,
quem

quem & nobis, & Ecclesiæ diuissimè victurum sperabamus. Sed resarciat aliqua ex parte grauissimam hanc iacturam præsens oratio. Nam & eo in mediū hīc producto, quasi abeunti valedicemus, & eius sanctissimè acta vita à nobis vtcunque declarata, speculum & exemplar erit nobilissimum, quo nobis & Ecclesiæ quàm diuissimè viuat. Si enim ea virtutis vis est, vt etiam quos nunquam vidimus, admirari, diligere, colere, & imitari nos faciat: notissimus nobis omnibus Matthæus Galenus quomodo non perpetuum erit Academiae Duacensi omnium virtutum exemplar, industriæ & laboris speculum, eruditionis incomparabilis monumentum? Et nunc quidem (vt arbitror) harum rerum iucundissima erit recordatio, & memoria suauissima, cum remisit se & deferbuit nō nihil acerrimus ille mæstitiæ impetus & doloris aculeus, quo tanquam repentino eoque grauiori inflicto nobis ex huius viri morte vulnere, obstupuimus magis attoniti, quàm iustum animo dolorem concipere, aut conceptum concoquere poteramus. Leniuit iam dolorem dies, & discus-

sa pau-

sa paulatim ingentis tristitiæ nube, quæ primo momento habita vulnus adhuc recens & calēs exacerbasset oratio, hac iam temporis interposita mora (quæ vt veritatis est filia, ita doloris est medicina) quasi reddita animis serenitate, resplendens iubar, recreabit atque reficiet. Fecit hoc enim, ne in ipsis exequiarum solēnibus hæc nostro Galeno iusta persolueremus. Ac nescio quo modo sic Deo rem ipsam & animum nostrum moderante, in eum hodie diem incidimus, qui doctissimo Galeno celebris semper & illustris fuit. Hic enim Diuo Matthæo Apostolo sacer, Matthæo Galeno sacratissimus semper est habitus. Hoc ille D. Matthæi die olim ex hoc loco (ô quanta facundia, pietate, eruditione quanta?) cognomini suo Diuo Apostolo panegyricam orationem habuit, quæ hodie typis excusa, cum omnium doctorum admiratione legitur. Hoc ille D. Matthæi die Dilingam Academiam celebrem ingressus est, subiturus ibi (vt mox dicemus) incredibiles pro Ecclesia Dei labores. Circiter hunc D. Matthæi diem, hanc ille nostrâ celeberrimâ Duacensem
Acade.

Academiam ingressus primùm est, futurus hic talis ac tantus, qualem omnes novistis, & non sine magnis suspirijs, iam desideratis. Et quidni hoc ille D. Matthæi die oratione funebri & panegyrica, ipso iam penè octavo migrationis suæ die, ex omnium desiderijs & votis, in hoc amplissimo cætu & confesso celebrandus est?

Ego verò non quòd vnus præ cæteris omnibus hoc cōmodissimè præstare possem, sed quòd vnus inter cæteros libentissimè vellem, de Galeno dicturus hunc locum conscendi. Siue enim celeberrimos Patres imitari libet, Nazianzenum & Ambrosium, quorum ille patrem defunctum, fratrem Cæsarium, sororem Gorgoniam, & amicum Basilium, hic fratrem Satyrum, pios Imperatores Theodosium & Valentinianum oratione Funebris celebravit, à me cerrè & beneficijs amantissimus pater, & officio collega ac frater, & omni humanitate ac benevolentia amicus integerrimus, non solùm commodè prædicatur, sed hoc quicquid est officij, suo optimo iure vendicat: siue ad id, quod par & æquum erat, attēdere velimus, profectò

nec

nec facultatis suæ Professori Primario, eiusdem facultatis Professor, nec venerabilis Collegij Amatenfis Præposito dignissimo, eiusdem collegij Canonicus, nec totius Academię Duacensis primo & amplissimo Cancellario, eiusdem Academici Senatus membrum, hanc qualemcunque tandem operam negare debuit. Itaq; quæ singula dicturo præsidia solent esse maxima, hîc ita adsunt vniuersa, vt nihil ferè desiderari posse videatur. Nam & dicendi campus patet amplissimus, & eius de quo diceretur recordatio vobis est iucundissima, & dicturus ipse nō tam ad hoc munus officio est obstrictus (licet obstrictissimus) quàm sponte & voluntate affectus. Quæ tamen omnia cū hic conueniant, nescio quī fiat, vt in ipso dicendi limine atque vestibulo vacillet animus, caliget intentio, fluctuet, ambigat, hæreat oratio. Hinc enim magnitudo rei terret, inde copia & varietas distrahit: conantem alacriter mæror deijcit: inde eluctantem metus excipit, ne animo res, & rebus verba non respondeant, neve optima causa malè dicendo pereat.

Scd

Sed his omnibus malis, quibuscum, dum hæc meditor, grauiet his diebus cōflictatus sum, vestra mihi, vt naufrago tabula, occurrit humanitas: quæ quidem à me in tam inopinata amicissimi viri morte, mæstitia planè & merore deiecto, valetudine parùm firma afflicto, alia hesternò die ex hoc loco perorandi prouincia impedito, non eam dicendi vim, acrimoniam, & impetum expectabit, quem Galeni vera laus mereretur, sed quem præsens mea infirmitas præstare valet. Qua quidè vestra omnium humanitate fretus, ad rem ipsam me accingo. Id tamen ante omnia edico, nemo vt hîc mæstus, nemo deiectus alsideat. Vt attentis auribus, ita animis erectis, quæ dico accipite. Neque cum Galenum laudo, ereptum tibi Galenum doleas, quisquis Galeni admirabiles virtutes auidè expectas. Primum enim lætandum magis quòd Galenum habueris, quàm dolèdum quòd Galenum amiseris. Illud enim gratuitum Dei donum erat, hoc naturæ debitum est. Si præsentì bono vt Dei singulari beneficio usus es, id non tibi ereptum, sed ab auctore repetitum iudicabis. Et fortasse id-

circò

Circò à nobis hoc tantum bonum imma-
 turiùs repetitum est, vt quale ac quantum
 illud esset, clariùs intelligamus. Quemad-
 modum enim oculi quod iusto propiùs
 admotum est non vident, sed opus habent
 moderata quadam intervalli distantia; ita
 animos minus gratos videmus bona præ-
 sentia sæpè aut fastidire, aut non aduerte-
 re: ijs autem ereptis, eorum sensu demùm
 attingi, & desiderio affici. Deinde nec Ga-
 lenum amisisti, qui habes perpetuò quod
 in Galeno imiteris. Imò magis Lacedæ-
 monijs suis Lycurgus mortuus quàm vi-
 uus præstitit, & Africanum illum Scipio-
 nem, Fabiũ Maximum, Camillum, quos
 viuos & præsentis invidia expulit, mor-
 tuos & absentes pro nobilissimis Duci-
 bus Roma venerata est. Sic mortui Mil-
 tiadis trophæa dormire Themistoclè non
 sunt passa: Herculis res gestæ Theseo
 somnum, Alexandri mortua imago Iulio
 Cæsari lachrymas excussit: plusque mor-
 tui viuos ad virtutem stimulabant, quàm
 viui suos incitare potuerunt. Itaque Ga-
 lenum nō amisimus, quotquot Galenum
 imitari volumus. Agite ergo, sic de Gale-
 E no dica-

Mortui ma-
 gis mouent
 quam viuos.

no dicamus, ut & eius virtutes meritò ad-
miremur, & ipsas (quò minus eum deside-
remus) imitemur. Hic enim erit (Audito-
res) duplex totius orationis meæ finis: ut
Matthæi Galeni memoriã dignis & veris
laudibus celebremus: ad eius autẽ imita-
tionem nos ipsos (maximè quotquot hîc
sacræ Theologiæ candidati sumus) sedulò
excitemus. Sic enim & aliquid Cateche-
ticũ hæc habebit oratio, ne frustra huic o-
rationi hodierna cesserit Catechesis. Vos
ergo (Auditores) non dicam attédite, sed
sedulò quæso quod facitis, facite.

Narratio.

MATTHÆVS GALENVVS in VVa-
lachria Zelandiæ natus, honesta familia,
municipio V Vestcappellij antiquissimo,
quod à Maioribus decus & splēdorem nō
accepit, suis ipse virtutibus acquisiuit: eo
profectò nomine cōmendatior, quòd non
aliena, sed sua virtute nisus, ad hoc hono-
ris & amplitudinis fastigiũ conscēdit. Nisi
forrè torrentē magis admirere, quàm fon-
tē: cum hic ex proprijs venis scaturiat, ille
alienis aquis superbus decurrat. Itaq; nihil
in Galenò deprecabimur, quòd non lōgo
Maiorũ stēmate illustretur, nec auitis &
paternis

paternis luminibus fulgeat. Ille sui splendoris fax est, qui vera virtute & pertinaci studio ab imis ad summa peruenit, vt verè de illo dixeris, quod Salomō scripsit: *Stellio manibus nititur, & moratur in adibus Regū.* Proverb. 30.

Nactus itaque in prima ætate optimos & prædiuites Mecænates, Antoniū Henrici, & Antoniū Simonis, eiusdem municipij cōciues, qui perspecto excellēti eius ingenio ad labores & literas nato, pietatis quoque & virtutis studioso, liberaliter quæ necessaria erāt suppeditarūt; primis illis Rhetorices & Poëseos disciplinis vsq; ad summū citius perductis, eos in grauiorib⁹ studijs progressus fecit, vt prima iā Theologica laurea donat⁹, quæ penè summi Theologi essent, Louanij exerceret. Illic enim cum adhuc Baccalaure⁹ esset, collecto aliquot sociorū numero, artē illā oratoriē & facūdē res sacras tractādi, vt pro concione & ad populū (vbi mouēdus auditor est nō docēdus tantū) aprè & accōmodatē pro cuiusq; rei natura ageretur, priuatim docuit: magno sanè labore suo, maximo aliorū cū fructu. Hinc enim prodiēre postea Pastores aliquot in Ecclesia Dei insignes,

Scripta eius
adhuc Bac-
calaurei.

qui in quo solo valere Hæretici putabantur, longè eos præcellerent. Hanc illis artem traditam in editis postea *Paralipomenis* expressit. Quibus etiam eodem tempore adiunxit *Areopagitica Hildæ Vini, originem Monastices, libros quoque de Sacerdotio, & item de Sacrificio, varia & recondita eruditione plenissimos. Talis hic noster Galenus adhuc Baccalaureus, ut hîc iam facilè (quod aiunt) ex vnguibus leonem.*

Factus postea Licentiatus, vocato tum temporis ex Dilingana Academia in Angliam à Rege Catholico, celeberrimæ memoriæ viro Petro à Soto, qui vnâ cum Martino Rithouio cum honore à nobis nominando, Reuerendiss. nunc Iprensi Episcopo, tum Dilingæ in Sueuia sacras literas profitebatur, eiusque in locum suscepto nobilissimo Lutheranorum Antagonista Gulielmo Lindano nunc Ruremundensi Episcopo, ac eo quoque breui ad maiora reuocato, cum ex Academia Louaniensi peteretur qui tantis viris succederet, & sua etiam celebritate illorum desiderium extingueret (quod quàm sit difficile & arduû, facilè omnes perspicitis)

Vnus

Vnus inuentus est Matthæus Galenus, & auctoritate Ruardi Tapperi viri celeberrimi & dicti iam Rithouij extrusus, qui hanc tam difficilem & celebrem Prouinciam obiret. Dilingam ergo ipso die S. Matthæi hic noster Matthæus ingressus, quasi in palæstram athleta descendens, quos non labores pertulit? Quæ non certamina subiit? Quis illi dies, non dico sine linea, sed sine iulto opere præterijt? Vix ibi toto triennio egerat. Sed in hoc vix triennij spatio, cogitate quàm vultis immēsos exārlatos labores: expectate quàm vultis amplissimos laborum fructus: Vincam omnem & cogitationem & expectationem vestram. Non minus sibi hominem liberum, laborum, studiorum, vigiliarū imperasse videbitis, quàm qui sub S. obedientia in S. societate degentes, admirabiles (vt hīc in proximo videtis) labores subeūt. Postquam paucis primis mensibus cum collega docuisset, toto reliquo tempore solus, idque bis in die docuit. Et vt pertinacissimam hominis in docendo assiduitatem compertam habeatis, videte quos illic S. Scripturæ libros exposuerit,

*Docet de
lingua.*

quæ præterea dogmaticè illo exiguo tempore tradiderit. Euangelium Lucæ, Euangelium Ioannis, Epistolâ priorem ad Corinthios, Epistolam ad Titum exposuit & dictavit. In dogmatibus, primum & secundum M.^{ri} Sententiarum explicuit, Damasceni quatuor libros de Orthodoxa fide (quos etiã eodẽ tempore è Græco sermone accuratè vertit, sicuti & eiusdem libellũ de dormiẽtibus in Christo) docuit: & ita docuit, vt (quod & singularis eruditionis, & magni laboris erat) Latinos Theologos cũ Græcis perpetuò cõcordaret, & vtriusq; Ecclesiæ (nequicquã reclamãtibus & mentiẽtibus Hereticis) vnã esse & eandẽ fidẽ ostenderet. Addidit etiam huic labori insignẽ Tractatũ de hæresi & Schismate, cũ explicatione etiã compendiaris 103. hæresum, quarũ maximã partẽ prolixè Epiphanius refutavit. Arque hæc quidem illic quotidiana docendi munera. Quid verò? Dominicis ac alijs festis diebus eũ vacasse putatis? Minimè verò. Sed quibus alijs diebus feriãtur, & fractas nõnihil corporis vires plurium dierũ studio reparãt atq; reficiũt, in his ferreus iste & ad-

amanti-

amantinus Galenus in perpetuis curis
pertinax perduravit. In huius enim trien-
nij primo quidē anno singulis Dominicis
ac festis diebus omnia totius anni Euāge-
lia, pro cōcione ad Clerū & studiosos ex-
plicuit. Secundo anno, pari modo totius
anni Epistolas: Tertio anno, psalmos sacri-
ficales & cæteras omnes Missæ partes eis-
dem diebus exposuit. Et ut nihil in hoc
indefessi laboris homine desideres, inter
hæc omnia grauissima rerū sacrarū studia,
etiam iuuentuti formandæ & instituendę
operā dedit. Quam ita præclarè instituit,
ut singulis item Dominicis & festis, præ-
ter conciones quas ipsemet primo mane
habuit, aliquis iuuenū finitis Vesperis ab
eo conscriptam orationem publicè decla-
mare: idque de virtutibus & vitijs, de fide
& hæresi, atq; eò pertinētibus. Ut harum
tandem Declamationū panegyricarū &
concionum à iuuentute Suenica pronun-
ciatarum centurias aliquot cōficeret, qua-
rū omniū Catalogū cum adolescentū no-
bilū nominibus illustri Abbati Cāpido-
nensi, Principi Imperij, dicavit: & pro-
pter debellatas hæreses & vicia, Suenicū

Trophæum nuncupauit. Et talis quidem publicè Galenus Louanij ac Dilingæ fuit: vt meritò iam nec Petrum à Soto, nec Martinum Rithouium, nec Gulielmum Lindanum, etsi omnes præstantissimos viros, & huius ætatis lumina, Academia Dilingana desideraret.

Priuatim autem quis illic fuerit, vt hæc publicè labore penè incredibili præstare possset, nec attinet multis dicere, nec ita commodè sciri potest. Latet enim bonorum viroꝝ domestica virtus, quãtò magis boni sunt, suaque innotescere non sinunt. Duo tamen erant (de quibus nobis constat) quæ ego existimo ad hunc rãtem perferendum laborem vim omnem aut certè maximam contulisse: ieiunium, & oratio ferè perpetua. Nam & à cænis semper abstinebat, raptim quoque ac modicè pransus: & quotidie (ò sanctum virum) diuinis Mysterijs operabatur. Atque ita quidem quotidianũ coelestis vitæ pabulũ vires animo subministravit: moderatus cibi vsus, ne corpus grauaretur, effecit. Venio nunc ad Duacensia. Media enim prætereò, vt exitum tandem inueniat oratio.

Matthæus

Matthæus Galenus vir tantus ac talis, euocatus tandem Dilinga melioribus auspicijs, circiter hunc ipsum D. Matthei diē Duacum ingreditur. Euocatus autem eodem tempore & à Senatu Duacensi, & à Reuerendiss.º ac sapientissimo Abbate Aquicinctensi, Academiæ potius operam suam dedit, vt magis Ecclesiæ (quod semper vnicè spectauit) prodesset. Quid hîc verò Duaci præstiterit toto hoc iam quod docuit decennio, qualis hîc & quantus vir fuerit, quorsum attinet dicere? Sunt enim ista non præsentibus tantùm & toti Duaco, sed & vniuerso (vt opinor) Belgio cognita & compertissima. Oportet tamen ad huius viri celebritatem breuiter (vt hactenus) quæ præcipua sunt attingere, & prima rerum fastigia carpere. Nam vniuersa dicere, & singulis insistere, nec nostrarum est iam virium, nec huius orationis fines patiuntur. Vnde ergo exordiar? Aut quibus potissimùm insistam? An hîc opimam nactus conditionem, otiose ac luxui dedit, aut quicquam de pristina sua sedulitate ac studio remisit? Imò verò adeò eundē se semper virum ad extremum

vsque vitæ diem præstitit, vt ne in ipsa hac postrema infirmitate ab euoluendis libris & studijs sibi temperauerit. Quo loco tamen lugere magis, quàm laudare libet, quòd studiorum improbitate importunè se nobis vir tantus eripuerit.

*Gesta eius
Duacensia.*

Sed vt ordine de Duacensibus eius rebus gestis agamus, hic vnus cū altero solum collega pluribus hic annis æstum ac pondus diei perferēs, ea fælicissima facultatis Theologicæ fundamēta posuit, vt ita nunc illa floreat, magis vt facilè florere nō possit, absq; necessarijs illis, quibus adhuc caret, Collegiorum & Bursarum subsidijs his etiam difficillimis tēporibus, & à studio Theologico alienissimis. Enimvero nō singulis tantum diebus ex professionis suæ ratione docendo, sed & præterea toto quinquennio, diebus festis omnibus catechizando, idq; gratis & absq; honorario, in ipsis quoq; initijs vnà cū professione sacra linguā etiā Hebræam seorsim publicè docendo, quàm nulli labori parserit, quàm pertinaciter incubuerit, vt Academia Duacensis incunabula ad maturitatē quam nūc cernitis peruenirēt, & omnes intelligitis,

gitis, & vterq; Senatus præclarè professus est, cum tantorum eius laborum intuitu, ut utraq; huius oppidi Præpositura, altera post aliam condecoraretur, apud Reg. Cathol. Maiestatem effecerit. Etenim quis Galeno magis in docendo assiduus, quis laboriosus & accuratus magis? Quis ita cellæ & claustrum Monachus, quam Musæo & libris Galenus, affixus fuit? Quis nisi aut ad scholam, aut ad Senatû Academicum foras unquam prodeuntem Galenû vidit? aut in plateis publicis conspexit? Sed de pertinaci, improbo, & indefesso eius in studijs labore, nimis fortasse multa diximus. Hæc enim necessariò (etsi alioqui nõ costarent) tamè credenda foret, cum tantum ac talem in omni eruditionis genere Galenû fuisse sciamus, ut absque incredibili studio tantus ac talis euadere non potuerit. Quis enim totius antiquitatis tam Ecclesiasticæ, quam profanæ, avidior helluo? Quis historiarum omnium peritior? Quis trium linguarum penè usque ad inuidiam & excessum, accurata cognitione illustrior? Quis in Scripturis & Patribus magis versatus? Quis denique magis absoluti & veri Theologi nomine dignus?

Eruditio eius & studium.

Hæc

Hæc itaque ut omnibus notissima præter-
eo. Nec etiam quantus & quàm illustris
orator fuerit, opus est dicere. Hic enim
locus, hæc Cathedra (Auditores) præter
quotidianas suas lectiones magna dicendi
vi traditas, in illo suo quinquennali Cate-
chismo, in creberrimis quas hîc habuit in-
ter Comitia Theologica, orationibus,
quantus & quàm celebris orator fuerit,
recenti memoria loquitur. Quis enim vn-
quam etiã in rostris illis Romanis (vnum,
si libet, Tullium excipe) aut disertius &
explicatius egit, aut maiori laterum firmi-
tate differuit, aut clariùs pronunciauit,
aut luculentiùs & doctiùs perorauit, quàm
in hac nuper Cathedra Matthæus Gale-
nus? Sanè ut hanc partem abrumpam, tan-
tus orator Galenus erat, ut ad laudandum
pro dignitate Galenum alio planè Gale-
no opus sit. Sed hæc quidem omnia, quæ
hactenus diximus, huiusmodi sunt, ut ad a-
liorum omnia utilitatem & fructum spe-
ctent: ostendantq; Galenum virum à Deo
in difficillimis his Ecclesiæ tēporibus da-
tum fuisse, ad publicum & maximum Ec-
clesiæ suæ bonum. Quo sanè loco grauer
inge-

ingemiscere & conqueri liberet, tam immaturè & in florenti penè adhuc ætate tātum nobis ereptum virum esse, nisi hoc iam antea præstitutum esset, non esse hīc à quoquam luctui & dolori indulgēdum: sed ei sanè seu amoris officio, seu naturæ impulsui satisfacere debere, quod his iam præteritis diebus factum est.

Venio nunc itaque ad maiora, & in quibus vera ac solida Matthæi nostri laus cōsistit. In tanta enim & tam multiplici eruditione, ac honoribus huic eius eruditioni collatis, nec illum vnquā ambitio inquieta pellexit, nec avaritia sordida sedauit: sed quæ Theologo & Sacerdoti necessarię imprimis virtutes sunt, honores fortiter cōtempnit, ditescere nec per accidēs voluit. Nota sunt & comperta quæ loquor. No-
Pietas eius
& vite integritas.
 uit vterque & Academicus, & huius oppidi Senatus, quòd vtranque Præposituram non nisi rogatus accepit. Primam verò quæ S.^{ti} Petri est, & propter adiūctam præbendam opulentior, quòd diu aspernatus & reluctatus vix tandem accipere persuasus fuerit, testes sunt aliquot huius oppidi nobiles Decuriones, quos & præ-
 sentes

lentes video. Illud verò quantæ fortitudi-
 nis & integritatis animi argumētum est,
 quòd studiorum & orij literarij causa, opi-
 mām S. Petri Præpositurā, sed curis tem-
 poralibus multum implicatam deserere,
 & ad Amatensem honoratiorem quidem
 paulò, sed multò tenuiorē migrare volue-
 rit? Quin etiam oblatam sibi ab aula Bru-
 xellenſi in eadē Amatenſi Ecclesia Præ-
 bendam sine vlllo adiuncto onere, cōstan-
 tiſſimè respuerit, idque non sine magno-
 rum virorū indignatione. Nempe vt alter
 Fabritius, imò Fabrico maior (quia hic
 Christi & studiorū, ille honoris & quietis
 propriæ causa hoc fecit) Præpositus esse
 diuitum maluit, quàm diues: & locupletes
 facere, quàm locuples esse. Notiora hæc
 sunt. Secretiora autē illa, qualem se priua-
 tim exhibuerit, quàm crebras eleemosy-
 nas fecerit, quis vel commodè scire, vel vt
 sciat, breuiter explicare queat? Quādo ille
 à paupere aut minus locuplere Theologo
 promotionū vnquā emolumenta accepit?
 Quot etiā & quàm multos de suo iuuit, vt
 cæteris oneribus pares essent? Quàm sele-
 ctam ille sibi & omni optimorū auctorū
 genere

genere instructissimā Bibliothecā reliqua
 pecunia cōparauit? Hic illi solus pecuniæ
 vsus, vt præter necessariū victū atque ve-
 stitum, vel eleemosynas faceret, vel libros
 cōpararet. Hoc Theologo, hoc sacerdote, Nazanz. in
Monodia.
 hoc Galeno dignū erat. Nēpe vt alter Ba-
 silius, præter libros & supellestilē sacra ni-
 hil habebat. Vnde (his exceptis) testamē-
 tum nō fecit: quia (vt de Augustino legi- Possidonius
in vita Au-
gust. cap.
ult.
 mus) vnde faceret, pauper Christi nō ha-
 bebat. Verè in magna opulencia pauper
 Christi, qui dicere cū Apostolo poterat: Philipp. 4.
Scio abundare: scio & penuriam pati. Verè vir
 Apostolicus & beatus. Verè te (Galene) id. tit. 3.
 beatum dicimus. Si enim scripsit Sapiēs;
Beatus ille vir, qui post aurū nō abiit: nec spera- Eccl. 31.
uit in pecunia thesauris: quis est hic, & lauda-
bimus eū? facit enim mirabilia in vita sua: me-
 ritò te beatū dicimus, Galene, (libet enim
 tātis per S. illā animā tuā cōpellare) meritò
 te in morte tua laudamus, quia mirabilia
 fecisti in vita tua. Nō abiisti post aurū, nō
 sperasti in pecuniæ thesauris. Felicē te præ-
 dicamus. *Felix enim* (ait ibidem Sapiens)
qui potuit transgredi, & non est transgressus.
 Si libuisset abire post aurum & sperare
 in pe-

in pecuniæ thesauris, quò te (Galene) abire non licuisset, expetitum in Germania ab Episcopis & Principibus, ditadum hîc Duaci Præbendis & beneficijs, si non dico quærere, sed si oblata peneque obtrusa acceptare voluisse? Huc huc oculos, Theologi & Sacerdotes, cõuertite. Matthæum Galenum Theologorum & Sacerdotum Speculum conspiciate. Si enim (vt scripsit Hieronymus) *ignominia est omnium Sacerdotum, proprijs studere diuitijs*, Sacerdotis Galeni magna gloria erit, eadem cõtempnisse. Hoc vnum autem cum dico, quanta me bona dicere putatis? Si enim *omnium malorum radix cupiditas est* (vt Apostolus dixit) qui radicem sustulit, quomodo fructus etiam omnes non resecauit? Sic itaque cogitate, contemptorem pecuniarum Galenum, à cæteris omnibus vitijs immunem fuisse quæ secum pecuniæ amor vt indiuiduas comites trahere solet. Sed ad alia transeamus.

In epist. ad
Nepotianũ.

1. Tim. 6.

Huic admirabili continentie, qua mundum vicit, orationes & ieiunia frequentissima adiecit, quibus diabolum & carnem superauit. Quando enim ille ab oratione destitit,

destitit, qui quotidie & singulis diebus (nisi sola aduersa valetudo impediret) Sacrificium obtulit, hoc quotidiano deuotionis genere mirabiliter delectatus, & (vt alter S. Thomas Aquina) singularem in illa sacrosancti Mysterij frequentatione voluptatem capiens? Quid illius ieiunijs magis singulare, qui præter stata Ecclesie tempora, quorum erat obseruantissimus, etiam Feriæ secundæ & quartæ ieiunium adiecit, abstinendo à carnibus, & vna refectioe contentus per totum annum, solis Paschalibus exceptis diebus. Qua in re & Religio eius laudanda est, & commédanda prudentia: qui sic sibi ex Religione imperauit ieiunium, vt publica tamen Ecclesie gaudia prudenter coleret.

Iam verò quòd in ipsis studijs suis non minorem pietati & religioso Diuini numinis cultui operam impendit, quàm ijs rebus quæ doctrinam afferunt, scripta eius etiam in hac parte & labores literarij fidem faciunt. Sic enim theorias Liturgicas seu preces & meditationes pias, ijs qui sacro Missæ officio intersunt vtilissimas, Flandricè & Latinè cōscripsit, nūc autem

F & Gal-

*Scripta sã-
crã.*

& Gallicè versæ extant, sæpius ac subinde reculsæ. Sic vitam sancti V Villebrordi Angli, Frisiorum Apostoli, tribus libris accuratè descripsit. Sic sancti Georgij Martyris vitam egregia oratione illustravit. Sic de reformanda Ecclesia in Synodo Cameracensi, de Satanicis illis abolèdis choræis, ex hoc loco, magna facundia, zelo & pietate maxima declamavit. Sic denique Scripturas sacras tùm noui, tùm veteris Testamenti hoc loco enarrans, non interpretem tâtùm doctissimum, sed & perpetuum quodammodo Ecclesiasten egit, ea quæ ad vitæ sanctitatem morumque probitatem pertinerent, accuratissimè semper & concionabundè pertractans.

Morum comitas & totius vite grauitas.

Neq; verò sic Deo & studijs Sacerdos hic optimus & Theologus celeberrimus vacauit, vt à cōuersatione ciuili & humanitate alienus esset. Sed quod de S. Antonio scribit Athanasius, eū in solitudine & mōribus licèt versatū, iucundū tamē atq; affabilē fuisse, id de Galeno norūt amici eius omnes, illū licèt studijs ac libris incredibiliter affixū, periucundū tamen atq; affabilē omniq; humanitate & lepore plenissimum

nissimū exitisse, quoties interpellari aut volebat, aut negotia pariebantur. Sanè sic amicitia coluit, vt cum non remerè, nec sine delictu amicos sibi asciuerit, ascitos cōstantissimè retinuerit, omni obseruātia coluerit, nec offendere, nec offendi (quæ prima amicitia lex est) aliquādo voluerit. Quod quia expertus loquor, & libentiùs narro, & cōfidentiùs affirmo. Vir præterea integerrimus, & excelsi animi si quis alius, ab omni dissimulatione alienissimus, popularis auræ & opinionū vulgariū contemptor maximus, calcator seculi & terrenis omnibus rebus superior, sapiens & doctus Scriba in regno cœlorum; veritatis assertor constantissimus, vitiorum impatiens, virtutum amator ardentissimus. Ex quo sanè effectum est, vt authoritatem apud omnes & Cancellario & Galeno dignam obtineret: cum colerent vicini Prælati, veneraretur Academia, complecterentur boni omnes. In rebus autem fidei, quæ ad Dei & Ecclesiæ honorem facerent, Zelator fuit vehementissimus, Catholicæ doctrinæ propugnator acerrimus, hæreticorū Antagonista fortissimus.

Hic enim Zelus domus Dei, quo supra modum flagrabat, hoc sanctum pectus, ignis ille & flâma perurens erat, quæ eum ne in tam assiduis studiorum laboribus perferendis vnquam deficeret, refouebat: & vt porrò semper pergeret, perurgebat. Valida enim est sicut mors dilectio. Hinc sanè magnus iste Zelator, & alter Phinees, ancipiti illo gladio verbi Dei hēreticos fornicantes & verbum Dei adulterantes transuerberans, stilo luculento & dentato Potestantes sepius acerrimè perstringens & prouocans, eorum quidem inuidiam erga se magnam conflauit, perterrefecit sic tamen, vt nemo hactenus Protestantium in eū replicare ausus fuerit. Hinc porrò vir in studijs laboriosissimus, desides & ignauos homines exosos habuit, studiosos autem & labori literario gnaviter insudantes mirabiliter colebat. Pios autē maximè & pro Ecclesia Dei aliquid perpeffos, afflictos, & * extorres, vt seipsum charos habebat: tanto zelo, pietate tanta, vt quod sepe sermone vsurpare solebat, re ipsa copiosè præstaret, sibi potius quàm huiusmodi hominibus defuturū se dicēs, quicquid

* Anglos
pro fide Duaci
exules
summo favore & amore complexus est.

quicquid in ipso esset, præstare quod posset. Qua de re plura dicerem, (est enim in hoc vno maxima Galeni laus) nisi & ipse ex eorum numero essem, & rem totam me tacente optimè omnes intelligeretur. Sed manet te tua merces, Galene, imò ea nunc frueris ac potiris: merces, inquam, illa, de qua dicit Saluator, *Qui accipit Pro-* Matth. 20.
phetam in nomine Propheta, mercedem Pro-
pheta habebit. Breuiter, vt videtis, multa percurri, & notauit potius quàm ostendi. In hac tamen breui varietate plura me vereor tacuisse, quàm dixisse.

Quæ enim in hoc summo Theologo & sancto Sacerdote summa erant, id (inquam) quod intrinsecus later (omnis enim gloria filia Regis, cuius hic filius erat, ab intus est) illa oculos & iudiciū humanum fugiunt. Illa Deo & Angelis eius iam cōspicua admirabilem splendorem reddunt. Talia sunt flagrans Dei & proximi amor, perpetua vitæ continentia & castitas, gemitus & suspiria sancta, frequens meditatio & rerum diuinarum cōtemplatio, frequens corporis castigatio, & his consimilia pietatis exercitia. Hæc quia ignoramus,
 F 3 tacemus.

tacemus. Ignoramus, inquã, quia plenius
 explicare & apertius commemorare non
 possumus: scimus tamen, sicut ex fructi-
 bus arborẽ, ex palmitẽ radicem. Qui sunt
 autem huius arboris fructus, qui palmites
 radicis? Illam respicite nobilem, erudi-
 tam, sanctam * Abecurtij familiam. Quos
 ibi fructus Galenus protulit, quos illic
 palmites germinavit, seu ad parentem v-
 trũque, seu ad liberos, seu ad affines & co-
 gnatos oculos cõuertimus? O verè sanctã
 & totius sanctitatis, religionis, pietatis,
 modestiẽ, virtutis effigiem illã Abencurtij
 familiam. Quid familiã dico? Ecclesiã po-
 tius, quã familiã dixeris. Imò Monaste-
 rium potius, quã Ecclesiam. Vbi quasi
 in altero Beth-lehẽ cum Paula & Eusto-
 chio Hieronymus sanctè hætenus disse-
 ruit, & vi-go sacerdos virgines efforma-
 vit. Ignosce mihi, vir illustri Jacobo Da-
 nusi, per illã Galeni amicitã te rogo, (qua
 nihil tibi in terris charius esse scio) si te
 præsentẽ de tua familia liberius dico. Ga-
 lenũ laudo, & tuã familiã tacere potere?
 Radicẽ perserutor, indago, exquiro; & fie-
 ri id plenè potest, nisi fructus & folia con-
 cutian.

* Hic D. A
 bencurtius
 mox post
 mortẽ Gale-
 ni et coniux
 eius nobilif-
 sima D. An-
 tonia de Bur-
 gundia Du-
 cissa Arco-
 sensis perbe-
 tuam conti-
 nentiam in
 manus Epi-
 scopi vau-
 erunt & ob-
 seruãt seor-
 sim viuẽtes,
 hæc in mo-
 nasterio, ille
 in suo castro
 Eusebio.

cutiantur, inspiciantur, colligantur, degustentur? Tuæ familiæ sanctitas, Galeni corona, gaudiū, gloria est, quæ hîc taceri nō potest. Sed parco modestiæ ac pudori tuo, qui si abesses, plura profectō hac de re dicerem. Utinā verò quod de familia hac sancta diximus, ubi præceptor & pater Galenus erat, idē de illa Galeni familia, cui Præpositus datus fuit, dicere licuisset. Dixissemus autem, si eo diutius frui licuisset.

Venio nunc (Auditores,) imò ipsa res *Mors eius.* me sensim perduxit ad eam orationis meę partem, quæ vt omnium iucundissima esse debebat, quia postrema, ita vehementer formido, ne futura sit omnium tristissima & maximè luctuosa. Hactenus enim vitā sanctè & laboriosè actam, præclaras & iustas Galeni laudes iucūdo quodam & suavi orationis filo texuimus, in quo nō tā laborare, quàm amenissimè expatiari nostra videbatur oratio. Eò nunc tandem peruentum est, vt cuius vitam descripsimus, mortem commemoremus: id est, vt qui bona ac beneficia huius Scholæ, huius Academię, totius Ecclesię recēsuimus, eiusdem nūc calamitatē & iacturā grauissimā

describamus. Quid est enim aliud, Matthæum Galenum hac vita defunctum dicere, quam Theologorum decus, Sacerdotum speculum, virtutum omnium exemplar sublatum, Collegium Amatense optimo Præposito spoliatū, Scholæ Theologicæ lumē extinctum, Academiae Duacensis splendorem singularem ereptum dicere? Siccine separas amara mors, & vnicuique tot illustria corpora per vnius latus transueberas? Siccine nostrum Galenum in florētī ætate, annorum plus minus quadraginta sex, sic Scholæ, sic Academiae huic, sic Ecclesiæ Dei necessarium importunè rapi? Sed querelas mittamus inanes, ne legem quam modò ipsi tulimus, primi omnium violemus: ne vel Deo ingrati, qui vt diu hoc bonum nobis impertijt, ita cū sibi visum est, quod suum erat repetijt: vel ipsi Galeno inuidi esse videamur, qui non tam nostro magno malo, quam suo maximo bono ad meliorem vitam indubiè transijt. Confidenter enim cum S. Augustino dico. Credidi propter quod & locurus sum, malè mori nemo potest, qui bene vixerit. Tibi ergo (Magne Galene)
qui pro

qui pro Ecclesia Dei maximos labores sustinuit, qui in sacris studijs ab ineunte ætate omnem vitam sanctè transegisti, qui studiorum magnitudine ita te attingisti, & spiritus vitales exinanisti, vt leuis te febri- cula etiam inter optima sanitatis indicia, consequente per defectum spirituum spasmo seu epilepsia nobis eripuerit, qui Catholicæ fidei propugnator acerrimus, virtutum omnium & cultor maximus & magister peritissimus, sobriè, iustè, & piè in hoc seculo vixisti, qui bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem seruasti, qui in illo tuo cum Aduersario extremo certamine, paucis ante mortem horis, alta voce cantasti (nunquam aliàs cantare solitus:)

*O tortuose serpens, qui mille per Maandros
fraudesq; flexuolas, agitas quæta corda,
discede, Christ' hîc est: hîc Christ' est, liquefce.*

*Signum, quod ipse nosti, damnat tuam cateruam.
& hoc diuino & Cygneo cantu cruentam
bestiam abegisti, de que ea triumphasti:
qui denique utroque sacramento munitus,
integro adhuc iudicio, etiam post
illa administrata, astantibus (ad hoc enixè*

F 5 rogatus)

rogatus) secundò benedicens, in magna
 totius corporis pace, absque lucta atque
 certamine, vltimum spiritum (quod hisce
 oculis mæstus vidi) emisisti, & verè in Do-
 mino obdormisti, Tibi magne & (quod
 non dubitamus) beate Galene, verè & ex
 animo gratulamur, palmam iam & præ-
 mia laborum tuorum, coronam iustitiæ a-
 depto. Te verò in môtis vertice iam con-
 stitutum, vt nos adhuc inter tribulos &
 spinas anhelantes ex alto respicias, roga-
 mus: & quod suum recens defunctum a-
 micum Basilium orat Nazanzenus, hoc
 ego tuo tibi merito amicus, hoc Ecclesia
 tua Amatensis, hoc Schola hæc tua Theo-
 logica, hoc Academia Duacensis enixè te
 orat, tuis hoc age precibus, vt tota nobis
 vita in melius permutetur, vt Ecclesia tua
 Amatensis pietate reluceat, vt Scho-
 la hæc tua Theologica eruditiq-
 ne floreat, vt alma hæc Aca-
 demia vtrâque præ-
 fulgeat.

D I X I.

IN MORTEM AM-
PLISSIMI ET ERVDITIS-
SIMI VIRI DO. MATTHAEI GALENI,
Almæ Academiæ Duacenæ Cancellarij,
Præpositi Ecclesiæ S.^{ti} Amati & in
Theologia Regij Professoris primarij,
Carmen funebre & ἑκασταστικόν.

Authore M. Gregorio Martino Anglo,
S. Theol. Licentiate.

(morem.)
Versibus obsequiū, lachrymis testamur a-
Debētur meritis ambo (Galene) tuis.
Prosequimur fletu tua tristia funera,
quid nūc

Multorum perijt te pereunte bonum.

At gentilitio carnem non findimus ense:

nec rabido sparsas vellimus ungue comas.

*Hoc tantum, quāuis nimium vehemēter amemus,
non licet: hoc cineres & vètuere tui.*

Insanos planctus spes religiosa coërcet.

sic sanctus differt atque profanus amor.

Cedat amor fidei, pietas vincat pietatem.

Fine gemi modico san^{ta} sepuli h^{ra} volunt.

*Denique, cum quo sint tibi qua tribuēda fatemur,
laudes & lachryma, ponimus hisce modum.*

Sed non

Sed non sic laudum præconia summa tuarum
metior, ut quouis limite clausa velim.

Hic tutò traxisse moram, cecinisse triumphos,
& statuisse tibi digna trophæa licet. (sunt.
Nec metus à nimio est, ubi semper plura super-
nec nisi peccari deficiendo potest.

Et quia dona Dei sunt hæc tua dona Galene,
sub modio non sunt illa tegenda mihi:

Et quia posteritas olim hæc studiosa requirer,
inuidus, ut taceam, posteritatis ero.

Ergo tuos mores videamus, nunquid in illis
fas sit Apostolicum delituisse virum.

Doctrinam, studiumq; tuum, tua plurima scripta,
quæq; peroranti sunt quasi nata tibi.

Premia virtutum cum tot virtutibus, ingens
cum celebri iunctum semper honore decus:

Omnia congestim cupidis lustremus ocellis,
multiplicis varium moris & artis opus.

Congestim, nam summa sequar fastigia rerum
& simul ac breuiter multa videnda dabo.

Prima tua est igitur laus, sic studuisse Louani,
ut fueris tanta gloria magna schola. (per

Proxima, de multis quibus hæc Academia sem-
floruit, insigni cognitione viris,

Sic te Martino, cui nunc cognomen Iprensi
Officium & virtus præsulis esse dedit,

Sic &

Sic & mirifico summè placuisse Ruarào,
 qui quantus fuerit vir, sua scripta docent,
 Ut cum doctū aliquem peteret faciūda Dilinga
 eloquio, linguis, multa sciendo parem,
 His tu iudicibus munus delectus ad illud
 ipsdem iudicibus dignior vnus eras.
 Iam tū Presbyterūq; tuū, veteremq; Monastē
 adideras: placuit lectus vter que liber.
 Authoremq; putant aptum maioribus ausis.
 Inde Dilingani muneris ortus honor.
 Nil referā paruum, qua tu tamē omnia nolles,
 & nisi compulsus vix patienter habes.
 Itur, honorificè tua te praeclara Dilinga
 cepit, & applausum tota theatra dabant.
 Siue Damascenum quasi commentator adires,
 seu Gracum faceres verba latina loqui:
 Omnes mirantur linguas, venerantur acumē,
 & dotes vnum propter vtrasque beant.
 Lindanum audierāt, placuit Lindanus abūde.
 Dicebant ambos penè fuisse pares.
 Audierant Petrum celebri cognomine Soto.
 Petro quis sacra cognitione prior?
 Sed non illa fuit linguarum trina facultas
 Petro, qua fuerat, docte Galene, tibi.
 Est aliquid, quāuis fueris minor hisce duobus,
 quod sis post tales tertius ipse duos.

Hinc

Hinc circum circa tua iam notissima fama
 ad loquina procul Belgica regna venit.
 Venit ad obscuram primò raramq. Duacum,
 qua magno pretio te cupit esse suum.
 Inuitatus aëes, florentem rediis & urnas.
 Proh dolor ornatum deseris author opus.
 Hic quæ fama frequens prædixerat esse futurū,
 reuera summum vidimus esse virum.
 Non audita modo, quamuis audita, recoraor.
 Prasens, se nobis quando probavit, eram.
 Auditor, spectator eram, mirabar, amabat
 illum qui poterat tam speciosa loqui.
 Vix me contineo, quin fletu totus inundem
 cum chari capitis grata figura subit.
 Illa verecundi vultus veneranda figura,
 os, oculi, mentum, pectora, lingua, manus:
 Quæ nostras quodam sapientia singula mētes,
 singula perpetui causa stuporis erunt.
 Professor primus, cathedra sublimis ab alta,
 scripturas mira dexteritate docet.
 Et quo aifficiles magis essent, hoc magis illas
 multimoda versans fecerat arte leues.
 Scilicet ut valiaū virtus magis impetit hostē,
 inq. resistentem fortius ignis agit:
 Rebus in obsuris sic ille libentius hæsit,
 materiam hanc operis lætus habere sui.

Audisses

Audisses longo recitatos ordine patres.
 Iudicium accessit pro Colophone suum.
 Sic tamen arbitrio lectoris plurima linquens,
 ut quasi discipulos consuluisse putes. (nos,
 Si quis erat scrupulus veteres reuocādas ad an
 monstra vetustatis nomina mira sonat.
 Et quasi vidisset cunctos sciret q̄ libellos,
 omnia sic memori tēpora mēte tenet. (nec
 Singula magna reor, vincit tamen omnia, quod
 fas est, & si fas, nolo tacere tamen.
 Eloquij sacri diuina volumina quanto
 cultu, quo nobis sint veneranda modo
 Ille (fatebor enim) docuit plus omnibus vnus,
 in textu mirè relligiosus homo.
 Non verba inuerti paulū modo, pūctula nusquā
 transferri, nullum iota perire sinit.
 Non apicillus abest quem non desiderat. O si
 illius ad votum sit sacer iste liber.
 Praclarū (mibi crede) virū, quē dū meditando
 mens veluti vernium laudis oberrat agrū,
 Fallor an exiguū est quicquid memorauimus,
 pondere maiori posteriora cadunt. (atq̄
 Rara auis in terris, homines Hebræa scientes
 idolo nimium non tribuisse suo:
 Nec grandes nodos in parua querere scirpo,
 iactantes omnem fontibus esse fidem.

Sensibus

Sensibus ambiguis, dubijs certare elementis
Iudaei operas Hæreticisq; dare.

At non sic illa doctissimus arte Galenus,
sed corrupta nimis fassus Hebræa, monet (tū
Quod legeret veteres qua nūc sit fraude noua-
teſtes adducens Septuaginta viros.

Quorum sic omni ratione tuetur honorem,
Hebraica fretus commoditate nota,

Vt mihi perſpicuum iam fecerit, vnde licebit

Diſſona qua nunc sunt conciliare loca.

Demonſtrauit iter, glaciemq; ſecauit eunti.

Quoq; ſuper eſt poterit quilibet ire via.

Interea ſtridonia lux, tua ſtella Galene,

ſanctus ab ætherea proſpicit arce pater.

Et te conantem poſt illum talia laudat,

& ſectatorem gaudet habere ſuum.

Et quod plus ipſo oro ſeptuaginta ſteriti,

mutata rerum conditione robat.

Quem tu ſic omni vita es ſtudijsq; ſecutus,

temporibus noſtris alter vt ille ſores.

In ſacris linguis princeps fuit vnicus ille.

proximus ab illo fortè Galenus erat.

Ille libras ſacros mendis purgauerat, & tu

denudò ne mendis inficiantur agis.

Ille ſuam Paulam ſanctus præceptor habebat,

Euſtochy cuſtos virginis ille fuit.

Et tua

Et tua Paula tibi non defuit, Eustochiumq;
astra per illustrem relligiosa domum.

Tertius accessit Paula quasi filius, idem
Filius eloquij consilijq; tui.

Qui si te pretio poterant seruasse, dedissent.

Nunc tua cū lachrymis funera mæsta colūt.

Quod faciūt quicūq; animis tua gesta reuoluūt,
& figunt mentes in pia facta suas.

Præpositus Diui Petri, post factus Amati,
quòd tanto fueris auctus honore parum est.

Sed cū magnifica præsertim sanctus Amatus
& multa locuples annuitate foret, (uis,

Quòd tu qui poteras dare præmia tãta quibus-
dans doctis tantum, sic ea danda mones:

Illud erat sanctiq; viri, summeq; beati

Præpositi, ac ingens integritatis opus.

Quid, quòd iure tuo cum posses singula quæq;
annua de multis dona tulisse tibi,

Sordes dixisti dare posse, & sumere velle.

O vox illo animo digna (Galene) tuo.

Illo (inquã) præclaro animo nec magna petētis,
quæq; fuere piè distribuentis opes.

Namq; tacere alios, quid dicam quanta dedisti
dona peregrinis, quanta daturus eras?

Certè quisquis erat, diuinæ legis amore
qui patrios exul deseruisset agros,

G

Hospiti-

Hospitium subit ille tuum, nos sensimus ipsi,
 magna clientela pars fuimusq; tua.
 Omnipotens grates meritis pro talibus amplas
 retribuat, sancto posthuma dona viro.
 Nos quoq; signa animi qua viuo dāda fuissent,
 illa tuo tumulo (magne Patrone) damus.

Gregorius Martinus Anglus.



DE CAUSA GRAS- SANTIVM HÆRESVM.

✠ *Oratio in Licentia Theologica
Comitijs habita.*

Væ sunt (Auditores) in omni genere bonorū & malorum, siue animi, siue corporis, siue fortunæ, sælicitatis & infælicitatis humanæ partes. In bonis quidem altera pars in conquirendis, in conseruandis altera versatur. Similiter in malis prima sælicitas est, in ea nunquam incidisse; altera, vbi incideris, quàm celerrimè te inde expedire. Ex malis verò & bonis ea, quæ ad animū spectant, primo loco haberi, omniū sententia est. Inter animi porrò bona & mala præcipuū quoque illud esse, quod ad Religionē & Dei cultū attinet, nemo dubitat. In ipsa autē Religionis & diuini cultus ratione quū multa quoq; illa complectatur, fidē sanam primum locum obtinere, etiam extra controuersiam est. Siquidē *sine fide impossibile esse placere Deo, Ad Hebr. 11.*

G 2 nemo

nemo fidelis ignorat. Ergo in hoc toto genere summum bonū esse rectam fidem summum malum deprauatam, quam hæresim vocamus, pariter in confesso est.

Aliquid ergo ex hoc loco de more hodie dicturus, & ea dicere volens quæ cum aliqua publica omnium nostrū utilitate & fructu essent coniuncta, de ipsa Hæresi suprema quadam animi peste atque pernicie dicere institui. Non quidē ipsam definiens, aut eius vel turpitudinem describens, vel quæ eam consequuntur mala enumerans; sed duas illas circa hoc grande malum infelicitatis partes persequēs, primum de hoc tāto malo penitus à nobis auertēdo differā, quæ prima fælicitas est: posterius de eo, si fortè irruerit excutiendo, agam: hoc est, de illa ineunda ratione, qua inter medias hæreses tutus ab hæresi viuas, quæ altera fælicitas est. Vtrumque sanè ex occasione candidati huius nostri hominis Angli, qui inter medios hæreticos natus, institutus, edoctus, omnibusque & amicitia, & affinitatis, & fortunæ vinculis astrictus; quum prima illa fælicitate gaudere non potuit, Hæreses nesciisse, & in gente
 hæretica

hæretica non vixisse, saltem secunda potius est, ab Hæreticis se sæliciter expediuisse. Verumque etiam huic loco & his Auditoribus necessarium. Quis enim nescit vulgare illud, tum tua res agitur, paries cum proximus ardet: nec importunū esse de incendio extinguendo providere, cum in proximo flamma depascit? Imò quis nō videt, sic in proximo illam grassari, ut non tam cervicibus nostris imminere, aut lateribus insidiari, quàm ipsisiam membris nobilissimi huius Belgij insidere, atq; in ipsis visceribus, alibi apertè, ubique clanculum grassari conspiciatur? Ut taceam ipsam hæresis naturam, quæ talis est, ut nullis se limitibus contineat, nullum grassandi finem faciat, donec totum compleat orbem: tum quia *indomita propagandi nominis libidine laborat*, ut notavit Augustinus, tum quia *sermo eorum tanquam cancer serpit*, ut docuit Apostolus. Hæc ergo omnia, si nihil esset aliud, tum de prima illa ratione, tum de altero hoc officio etiam apud Catholicos Auditores dicere ac differere, meritò moueant, urgeant, impellant. Quanquam sane ipsa

De utilitate
credēdi cap.

14.

2. ad Timo.

2.

illa ratio auertēdæ omnis hæresis talis est, vt si hæc ita se non haberent, satis per se sola doceat, de commercio & fuga Hæreticorum tempestiuè præmonendos esse Catholicos.

Agamus hoc ergo & dispiciamus, quæ sit illa ratio, qua omnis hæresis penitus auertatur, id est, qua fiat, vt nulla Hæresis præualeat, vt nullus seductor persuadeat, vt nullus Pseudopropheta aliquam sibi multitudinem conciliet. Vulgare est; sublata causa, tolli effectum. Quæramus ergo, quæ sit hæresis omnis causa, non dico inueniendæ & excogitandæ ex parte seductorum, sed propagandæ & dilatandæ ex parte populorum. Videamus quî factum sit, vt hæreses in orbe Christiano aut nunc præualeant, aut olim præuulerint. Illud enim fortè si sciatur, & eiusmodi sit quod studio & industria caueri possit, sciatur eadem opera, quid illud sit, quo præstito, nulla vnquam hæresis gentem aut populum obtinebit. Istud ergo Oratione hac nostra demōstrare conabimur. Vos diligenter quæso, quod facitis, attendite.

Multa

Multa fanè in medium afferri possent, in quibus grassantium Hæresum causam ponere probabiliter liceat: De quibus etiam singulis copiosè & grauitè disputare non esset difficile. Sed ne longè ab eam, & breuitati studeam, ipsam (ni fallor) huius mali radicem & causam intrinsecam, relictis alijs, quæ fomenta magis, quàm causæ sunt, aperiam. Nempe qui vniuscuiusque hæresis scatebras primamque originem penitus introspicit, aut radices curiosius perquirit, non aliam eius originem, fontem, primamque parentem esse videbit, quàm solam inobedientiam, contumaciam, superbiam. Nam, vt totius veræ Religionis fundamentum est obedientia, & illud quod Apostolus dicit *captiuare intellectū in obsequium Christi*: ita totius Hæresis initium est inobedientia, & vt Cyprianus non semel monuit, *non aliunde hæreses & schismata nata sunt, quàm quòd Sacerdotibus Dei vicem gerentibus ab vniuersa fraternitate non obtemperatur*. Hæc verò animi contumacia in vniuersa fraternitate, quando aut in quibus fratribus, id est, Christianis locum

G 4 habet

2. Cor. 10.

lib. 1. Epist.

3. & lib. 4.

epist. 9.

habet? Non sanè in quibusuis Christi nomen profitentibus, qui alioqui carnales & animales sunt. Hi enim habent spiritum Dei, licèt *ea qua sunt spiritus Dei, non percipiant*: quia vel ex ignoràtia rerum, vel ex carnis infirmitate in multis offendunt.

1. Cor. 2.
cap. vnico.
ad Tit. 3.

Sed ille præfractus animus qui Schisma gignit aut fouet, illi qui *seipsos segregant, sic animales sunt*, (teste Apostolo Iuda) *ut ne spiritum quidem habeant*: suo videlicet ipsorum iudicio subuersi, vt Apostolus ait. Hæc affectio nisi in summa quadam & penitus deplorata impietate non consistit. Nemo enim repentè fit turpissimus, neque ad singularem illam arrogantiam & tumorem, quæ Hæresim vel gignit & in orbem producit, vel productam alit fouetque, nisi certis impietatis gradibus peruenitur. Restat ergo, vt illic dominetur hæresis, vbi regnat impietas, vbi flagitiosè viuitur, vbi completa est malitia. Idque non tam in ijs qui docent impia (quanquam & in ijs quoque) quàm in ijs qui audiunt, & docentibus aurem præbent. Quæ sanè omnia si argumentis & exemplis copiosè demonstrare vellem,

nimum

nimum fortasse prolixus essem. Sed dicam breuiter.

Saluator in Euangelio cum de futuris hæresibus dixisset, *multi Pseudo-prophetae* Matth. 24. *surgent & seducent multos*: formidandam illam prophetiam, vt loquitur S. Basilius, Epist. 77. addit, *& quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*, quasi causam subiiciens future seductionis. Nam (quod obseruatione dignum est) per omnes sanè ætates à nato Christo seductores fuerunt, sed non semper seduxerunt multos: non semper præualuit seductio, quia non semper abundauit iniquitas. Id exemplis ostendam vno aut altero. Hæreses omnes certè præcipuè vel contra Christum Ecclesiæ Caput, vel contra Ecclesiam quod est corpus Christi, aliæ tectius, aliæ apertius, dimicarunt. Sed fuerunt in vtroque genere primum quidem quasi velitationes quædam, postea autem iusta certamina, completâ iam hominum malitia. Nam grauissima & teterrima illa contra Christi Saluatoris diuinitatem, hæresis vulgò Ariana dicta, ab Ario quidem coepit, quo tempore maximè grassabatur,

& vno quasi impetu per vniuersum orbem peruagata est. Non tamen ab ipso Ario primam suam originem traxit, sed longo ante tempore sub Zepheryno, Papa, Artemon quidam hæreticus eius fundamenta iaciebat, vt scribit Athanasius in Epist. de Synodis Arimini & Seleutiæ, & commemorat Eusebius in historia Ecclesiastica. Eidem quoque hæresi ante Arium Carpocrates, Cerinthus, Ebion, Paulus Samosatenus incrementa dederunt. Hi enim omnes Christum creaturam & tantummodo hominem esse docuerunt, vt memoriæ prodiderunt Epiphanius, Philaster, Augustinus, Theodoretus & alij omnes qui de Hæresibus scribunt. At præualere hæc execrabilis heresis non potuit vsq; ad Arium, non aliam sanè ob causam, quàm quòd ante Arij ætatem in perpetuo ferè persecutionum exercitio probati & expurgati fideles, pietati (vt fit) & diuino cultui magis sedulò inuigilabant, seseq; quasi ad presentem pro Christo mortem oppetendam comparabant. Certè Christianos homines quum mundus odio haberet, ad

Athanasius.

Eusebius li.
5. Cap. 27.

ret, ad Christi fidem, nisi qui mundum contemneret, nemo ferè accedebat. Aut si mundi amore imbutus accederet, non difficulter illum deponebat, iuxta illud Cypriani argumentum. *Cum mundus oderit Christianum, quid amas eum qui te odit?* Red- Serm. 4. de Mortalitate.
 dita autem Ecclesijs pace, id est, summa securitate & otio, frēna libidini ac cupiditati laxabant Christiani vt cæteri homines. Refriguit charitas, abundauit iniquitas: & (vt Cyprianus de interuallis tātūm quasiq; breuibus inducijs pacis ecclesiasticę suo tempore datis conqueritur) *traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corrupit, donec iacentem fidem, & penè dix- Serm. 5. de Lapsis.*
erim dormientem, censura caelestis erexit.
Studebant, inquit, augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes aut sub Apostolis antè fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Hæc ille, multaq; ibi alia in eam sententiam.

Multò autem magis, longeq; licētius,
 quo

quo tempore Arius suam hæresim propagare cœpit, libidini & voluptati laxatæ passim habenæ sunt, quantò securior pax, & tranquillitas certior data Ecclesijs fuit, regnante Imperatore Constântino nō minus christianissimo quàm potentissimo. Facta enim tum illa est quam S. Antonius Heremita in reuelatione biênio antè præuiderat (vt in eius vita scribit indubitatus Author Athanasius) *calcitrantium mulorum indisciplinatio, altaria calcibus demolientium, & in ecclesijs sacra omnia proculcantium.* Illa sanè calcitratio (ait Athanasius) Ariatorum impietas fuit, quam in figura prædixit Moyses. *Impinguati, incrassati, dilatati, recalcitrauerunt.* Nam omnis generis impietatem in vulgo Christianorum, maximè ipsorum præsulum, per totum Orientem obtinuisse tum temporis, grauissimè conqueruntur Sancti patres, Athanasius in illa S. Antonij vita, & in Epist. ad solitariam vitam agentes, & Nazanzenus in Apologético; historia quoq; ecclesiastica passim commemorat, vbi flagitia Ariatorum & immanitates leguntur, penè incredibiles. In qua profligata Christianorum hominum

In vita S.
Antonij.

Deuter. 31.

Athanas. in
epist. ad solit.
vitam agentes.
& in Apologia
ad Constânt.

minum impietate, cum perpetua videli-
 cet ecclesiæ pace crescente otio, & refri-
 gescente charitate, aliæ mox cōtra Chri-
 sti personam immanes hæreses Nestoria-
 norum, Entychetarum & Monothelita-
 rum exortæ sunt, & per multas gentes in-
 valuerunt: sicuti & generalia ex toto or-
 be Concilia cōtra illas coacta satis loquū-
 tur, & præterea post illa Cōcilia tum Ze-
 nonis ἐν ᾧ ἴκον edictum, tum Epistolæ illæ
 illustriū virorum pro Chalcedon. Conci-
 lio, quas ἐγκύχλιον vocat Cassiodorus aper-
 tē legentibus demonstrant. Nec dissimile
 omnium flagitiorum pelagus in populo
 Africano inūdasse, quum eam Ariana hæ-
 resis potestate Vandolica armata extremis
 modis affligeret, rectē quidē Victor, et Pos-
 fidonius in vita Augustini insinuant, co-
 piosè autem & prolixè narrat Saluianus
 Episcopus Massiliensis. Adeò sanè vt quā-
 uis illa Arianorū rabies fuerit lōgè trucu-
 lentissima, tamen si vera narrat Saluianus,
 minora passi fuerint quàm commeriti nec
 flagitijs flagella respōderint. At antiquio-
 ra ista, magis fortasse obscura sunt, maxi-
 mē cū ita breuiter notantur potius quàm
 osten-

*Nazæzeno
 in Apolog-
 tico.*

*Institutio-
 nis diuina-
 rum lect.*

lib. 1. cap. 11.

Tom. 2.

Concil.

*Lib. 3. hist.
 de persecu-
 tione Van-
 dalica.*

*Saluianus
 de Providē-
 tia li. 7. et 8.*

ostenduntur. Aliud exemplum subiiciam magis evidens & illustre.

Cōtra Christi corpus quod est Ecclesia, variæ olim hereses extiterūt, ex quibus tamē aliæ apertius illā impugnarunt, vt Donatistæ, qui palā profiteri non verebātur, *perÿsse de toto orbe Ecclesiā, & in sola Africa remansisse*, quam etiā Montanistarū apertam vocē fuisse cōmemorat August. cont. Faustum. Aliæ tectius sanè & maiori fuco ipsam tamē & ipsius iugulū petebāt. Qui enim Ecclesiæ Dei in remittēdis peccatis potestātē, vt Nouatiani, ac post eos Luciferiani, eleuabāt: qui Ecclesiæ ritus, leges, dogmata vellicabāt, vt Aerius orationem pro defunctis & stāta ieiunia; Iouinianus, votū virginitatis, Vigilati^o, cultū Reliquiarū atque sanctorū; Iconomachi, imaginū cultū; Berēgarius, veritatē Corp. Domini in Vē. Eucharistia; deinde V valdēses, Albigēses, Petrus Abalhardus, Almaricus, Hériciani, ac postremò ipse V vicleff & Ioan. Huss. qui omnes Rom. Pont. autoritatē, Sanctorū inuocationē, Peregrinationum, ieiuniorū, votorū, cælibatus, sanctissimas leges reprēhendebant, hi inquā, omnes & alij illis

August. de
vinitate Ec-
clesiæ cap.
12.

Lib. 32. cap.
17.

alij illis similes per varias ætates exorti,
 corpus Christi, quod est Ecclesia, impu-
 gnabant. Sed erāt hi omnes velitationes
 tantum quædā & præludia diaboli, quibus
 Christianum orbē tantisper exercebat, &
 ad immanē istā, quā hodie cernimus, Apo-
 stasiā potius, quā hæresim, paulatim ma-
 nūducebat. Nā præter Nouatianos & Ico-
 nomachos, quorū illi à Cypriani ætate vs-
 que ad Theodosij secundi Imperiū annis
 200. plus minus, longa successione perdu-
 rarūt, sed paucis tantum in locis: hi latissi-
 mē quidem per totū Oriētem propagati
 sunt, sed post vnū aut alterū seculū extin-
 cti sunt: reliquę illę omnes citatæ Hæreses
 & sectatores pauciss.^{os} habere, & nusquā
 diu subsistere potuerūt. Nā Acrius *fugatus*
ab omnibus Ecclesijs, vicis, ac ciuitatibus, ut Heres. 75.
scribit Epiphanius, in siluis cū suis latitabat. Ad quod-
Vigilātius exiguā solā Gallię partē seduce- multidem.
re potuit, statim à Hieron. profligatus. Io- Her. 82.
uiniani hæresis citò, ait August. oppressa &
extincta est, nec vsq. ad deceptionē aliquorū sa-
cerdotū potuit peruenire. Berégari^o nec secta-
tores habuit, nec mori in sua sentētia vo-
luit. Albigēses circa solū Tolosę comitatū
in Gal-

Heres. 75.
Ad quod-
multidem.
Her. 82.

in Gallia, sicuti & Vvaldenses circa solum Lugdunum, Abailhardus in sola etiã Gallia sua dogmata propagare potuerunt. Latius paulò serpsit Vvicleffi furor, sed in Anglia statim industria Henrici 5. Anglorum Regis nobilissimi sopitus est, in sola Bohemia inualuit.

Quæ autem huius rei causa est, quòd eadem hæreses, quæ nunc quidem totum Christianum orbem peruagarunt, & ingentes populorum multitudines in suam insaniam pertraxerūt, olim & in tam paucis locis restrictæ, & tam citò extinctæ fuerunt? Certè non minus olim argumentis veteres illi hæretici egerunt, quàm hodie nostri. Eadem sunt apud Epiphaniū Aërii argumenta contra orationem pro defunctis & stata Ecclesiæ ieiunia, eadem apud Hieron. contra reliquiarum cultum Vigilantiij scommata; Eadem apud eundē Hieron. & August. in lib de sancta Virginitate, Iouiniani contra virginitatis meritum obiecta, quibus hodie hæretici vtuntur: eadem Berengarij fraus & impietas, quæ hodie Zvinglij: nec alia Vvaldensium, Albigensium ac ipsius Vvicleffi arma & tela sunt con-

sint cōtra Rom. Eccl. eiusque potestatem, leges, ceremonias ac ritus (sicuti apud D. Bern. Thom. Vvaldensē, Petrum Cluniacēsem, Lanfrancum & alios videre est) cum ijs quibus hodie Lutherani, Calvinistę cęteraque huius ætatis portenta vtuntur. Eadē quoque à Catholicis hodie Doctoribus & Scriptoribus sedulitate, eruditione, constantia ipsis hæreticis respōsum est, quibus olim veteribus, ne dicam maiori. Siquidem & ipsorum veterū Doctorum argumentis & armis pugnatum est, & aliorum inuentis multa sunt addita. Quod tam immensa varietas Scriptorum hodie Catholicorum de rebus cōtrouersis locupletissimè testatur. Cur ergo persuasit Lutherus, præualuit Calvinus, & derisus est Vigilantius, explosus Louinianus, contemptus Aërius, repressi, sopiti, extincti cæteri omnes? Quæ tanti discriminis tantæque rerū discrepantiæ causa esse potest? An Christus olim Ecclesiæ suæ adfuit, nunc deest? At disertè promisit, se adfuturum illi *omnibus diebus vsque ad cōsum-* Matth. vii. *mationem seculi.* An quia Pastores fortasse officium non fecerunt, oues necessariò errarunt?

H rarunt?

rarūt? At clamat Apostol^o, *dedisse Christū*
Paſtores, Doctores & cæt. nō frustra, sed ad
 Ephes. 4. *cōsummationē Sanctorū, ad ædificationē Corpo*
ris Christi; nō ad certas ætates & momēta
temporū, sed donec occurrām^o ōnes in unita
te fidei & c. An docuerūt forſaſſe quę recta
 sūt, sed ob improbā & flagitiosā ipsorū vi
 tā, minus illis creditū, min^o obtēperatū est?
 Matth. 23. At disertē præmonuit Saluator: *Quæ di*
cūt, facite: quæ autē faciūt, nolite facere. Et rur
 Luc. 10. sū, *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me*
spernit. Quę ergo rādē causa est, q̄ ātea actis
 seculis exierūt Antichristi multi, surrexe
 runt Pseudoprophete, fuerunt seductores
 quos iā cōmemorauim^o: sed quod Christ^o
 adiūxit, *et seducēt multos*, nūc demū hac no
 ſtra etate factū est, antea factū nō est? Nō
 est inquā, antē tā vbertim & copioſē factū
 nec ita peruagatū malū. Quid alias causas
 quęrim^o, quid moras nectimus & declina
 mus cor noſtrū in verba malitiæ, ad excu
 sādās excusationes in peccatis? Nō alia cau
 ſa quęrēda est, quā quę a Salvatore subiec
 ta est. *Quoniā abūdauit iniquitas, et refriges*
cet charitas multorū. Nō alia quā quę in
 veteri populo persecutionū & vastationū,
 quas

quas à gentibus pertulerunt, causa fuit. In
 his enim omnibus clamarūt Prophete: *Iniquitates vestrae diuiserunt inter vos & Deū* Esai. 59.
vestrum: & peccata vestra absconderunt faciē
eius à vobis ne exaudiret. Et illę persecutio
 nes typus erant heresum noui Testamēti.
 Nostri enim Idumęi, Philistęi, Assyrij, qui
ad alienos Deos nos vocāt quos non coluerunt Deuter. 31.
 Patres nostri, sunt heretici. Propterea hęc
 etiam propagandę olim heresis causam A-
 postolus apertissimē pronunciauit. *In no-* 2. Timo. 3.
uissimis, inquit, diebus instabunt tempora pe-
riculosa, et erunt homines seipso amantes, cu-
pidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non o-
bedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine
pace, criminatores, incontinentes, immites, si-
ne benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæ-
ci, voluptatū magis amatores quàm Dei, habē-
tes speciē quidē pietatis, virtutē autē ei⁹ abne-
gātes, & hos deuota. Hi enim resistūt veritati,
 homines corrupti mēte, reprobi circa fidē. Hęc
 Apostolus. Satis clarē ostēdit, quales ho-
 mines futuri essent qui resisterēt veritati,
 & qualia tunc tempora. Quòd ergo præ-
 ualeat hęc heresis, siue contra Christum, si-
 ue contra Ecclesiam: siue contra caput,

sive cōtra corpus, non alia causa est, quàm quòd in toto fidelium populo abūdat iniquitas, refrigescit charitas, consensere iura peccatis, & cœpit esse licitum quod publicū est. Inter adulteros erubescit castus, & in turba vitiorum locum habere virtus non potest.

Quanquam in hac etiam vitiorum fœda colluue discrimen quoddam obseruare licet Nam in illis hæresibus quæ Christum Dominum & Caput petebant, quia ad intellectum magis & ingenium, quàm ad vitæ morumque rationem illæ pertinebant, erantque quæstiones arduæ arte & studio investigandæ, stabat à parte Sacerdotum & Pontificum potius hæc impietas, quàm à parte populi. Illorū enim contentione, inuidia, & superbia factum est, vt hæreses illæ contra Christi personam præualerent, spectantibus potius, quàm approbantibus populis, suosque magis Episcopos sequētibus, quàm doctrinas illas nouas sanæ & orthodoxæ veteri fidei sua sponte & electione præferentibus. Quas enim ipsi quæstionum lites non capiebāt, propter ipsos assertores, & cū ipsis, defendebant.

debant. At verò quæ contra Ecclesiæ potestatem, leges, dogmata, exortæ hæreses sunt, quia ad vitam & mores immediatius spectabant, & quandam in tota cultus ratione libertatem seu licentiam potius inuehebant; ut illæ prævalerent, stabat à parte populi & ipsius vulgi hæc tota ferè impietas. Et ex Episcopis ipsis ac Ecclesiæ Pastoribus paucos sectatores habuerunt, à priuatis potius, & aut laicis, aut in nulla Ecclesiastica dignitate constitutis hominibus promulgatæ. Quod in nostri tēporis hæresibus manifestissimum est. Sunt enim popularia ferè omnia, mollia, dissoluta, & carni placētia, quæ hæc nostri tēporis in orbem inuexit hæresis. Nullis orationum, ieiuniorum, vigiliarū legibus astringi: nullis Sacramentorū, ceremoniarū, obseruationū finibus cōtineri: nullā pro peccatis penitentiā subire: in bonis operibus nullā salutis partē ponere: in sola fide seu fiducia potius ac præsumptione superba vniuersam salutem collocare. Ipsam verò veri nominis fidē tam liberā & laxam statuere, ut nullis Conciliorū, Pontificū, Patrum, temporū, locorū aut totius Ecclesiæ

*Hodierna
hæresis
genita.*

Decretis, placitis, sententijs, præiudicijs, v-
 su, aut consuetudine, aut teneri, aut insti-
 tuti, aut dirigi se patiat: sed soli Verbo
 scripto innitatur: & hoc ipsum Verbum
 scriptum pro canonico & legitimo verbo
 Dei probent ac recipiant quod velint:
 probatum deniq; ac receptum exponant
 vt velint. Quæ sunt popularia, mollia &
 placentia, si hæc non sunt? Et putabimus,
 vt hæc tam placentia & popularia passim
 ita obtinerent, totq; sectatores reperi-
 rent, aliam causam subesse potuisse, quàm
 ipsius populi corruptelam ad omne sce-
 lus proiectam, & totius iniquitatis abun-
 dantiam?

Sed ab hac nostra oculos tantisper a-
 uertamus, & ipsius hæresis naturam in v-
 niuersum inspiciamus. Nam de ea agi cæ-
 ptū est, vnde in hanc nostri temporis pau-
 latim se deflexit oratio. Dico igitur, om-
 nis hæresis hunc genium quædam esse, vt
 non nisi in profligata & conclamata ho-
 minum impietate præualere, aut totas
 gentes diutius obtinere vnquam possit.
 Moyses ille de futuris Pseudoprophetis
 populum moniturus, *si surrexerit, inquit,*

in me-

in medio tui propheta, & dixerit tibi, ea- Deuterō. 13.
mus, & sequamur Deos alienos quos igno-
ras, & seruiamus eis, non audies verba il-
lius: quia tentat vos Dominus, ut palam fi-
at utrum diligatis eum ex toto corde ve-
stro an non. Videmus hinc manifestissime
ideo permittos à Deo falsos prophetas,
ut tentaret Dominus an toto corde e-
um sui diligerent. Quod quidem si fie-
ret, si habitante Christo in coraibus eorum Ephes. 3.
per fidem, in charitate radicati & fundati
(ut Apostolus loquitur) ab omni impie-
tate immunes essent, surdo caneret Pseu-
dopropheta ille. Contrà si in homines
impuræ vitæ Pseudopropheta incideret,
nulla negotio in sua retia pertraheret.
Ne verò in nostris noui Testamenti Pseu-
dopphetis hoc locum non habere ext-
stimes, præter id quod Apostolus Petrus 2. Petr. 2.
futurum dicit, ut quemadmodum erāt Pseu-
dopropheta in populo, sic & in nobis erunt,
& quòd passim in Euangelio Pseudopro- Matth. 7.
phetarum nomine hæretici notantur, di-
sertis verbis Apostolus Paulus prædixit,
idcirco oportere hereses esse, ut qui proba-
ri sunt in nobis, manifesti fiant: hoc est, 1. Cor. 13.

H 4 vt pa

ut palam innotescat, qui verè ad corpus
 Christi pertinebant, qui & nomine & re
 Christiani essent. Et propterea de ijs qui
 per Schismata exeunt, ait Ioan. *Non erant
 1. Ioan. 2. ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, perman-
 sissent utique nobiscum. Si viua & electa
 2. ad Tim. 2. membra essent, habentes signaculum
 hoc, recedat ab iniquitate omnis qui inuo-
 cat nomen Domini: omnes Hereticorum
 voces tanquam Sirenum cantus surdis au-
 ribus præternavigassent. Ex qua Apostoli-
 ca doctrina edoctus S. August. grauitè &
 verissimè scripsit, ex his hominibus hereti-
 cos fieri, qui si in Ecclesia permansissent, ni-
 ligione cap. hilominus errarent, id est, per sceleratam
 8. vitam perirent. In quam etiam senten-
 tiam eleganter Cyprianus, *Nemo, inquit,
 æstimet bonos posse de Ecclesia decedere. Tri-
 Lib. de uni- ticum non rapit ventus, nec arborem solida
 tate ecclesie. radice fundatam procella subuertit. Inanes
 palea tempestate iactantur, inualida arbores
 turbinis incurfione euertuntur. Nempe ve-
 ri nominis Christianus, qui audit verba
 Matth. 7. Dei & facit ea assimilatur in Euangelio ei
 qui ædificat super petram qui Christus est,
 in eo solo spem ponens, ei soli adhærere
 pro**

pro summo bono habens. Hunc tempestas non concutit; hic nullo nouę doctrine vento rapitur. Hic vocem alienorum non audit. Ideoque Saluator, vbi monuisset attendere à falsis prophetis, statim hęc parabolam subiecit. *Qui verò audit verba Dei, & non facit, hic aedificat domum suam, id est, fidem suã super arenam, id est, lubrica & caduca huius mundi, conformans se huic seculo nequam & viuens ex prudentia carnis quę legi Dei subiecta non est.* Et omnis huiusmodi, quum descendit pluuia, & flauerunt venti, quum tentat Pseudopropheta & nouę doctrine ventus ispirat, cecidit domus eius & facta est ruina eius magna. Horum ergo hominum multitudo quo maior est, quo grandior palearum numerus, eò proficiunt seductores magis, eò grauius propagatur Hæresis.

Hanc fanè ob causam Spiritus Sanctus in diuinis scripturis non tam Pastorum & Sacerdotum vel improbitati, vel inscitie, quàm ipsius populi cupiditati, seu morũ, seu fidei in Ecclesia Dei corruptelam vitio vertit. Hinc Ieremias quum dixisset, *Propheta prophetabunt mendacium, quod ad*

H 5 ipsos

Jerem. 5.

iplos seductores seu Archihæreticos pertinet, addit: & Sacerdotes applaudebant manibus suis, id est, inuenerunt Doctrinæ suæ præcones; sed & præterea adiunxit, & populus meus dilexit talia, quasi dicens: nisi primis seductoribus alij scelerum ministri accessissent, nisi populus dilexisset talia, illa utique mendacia minimè præualuissent.

Esai. 30.

Quid quod Esaias vniuersam huiusmodi malorum causam soli populo tribuere videtur? Populus, inquit, ad iracundiam prouocans est, & filij mēdaces, filij nolētes audire legē Dei, qui dicūt vidētibus nolite videre, & aspiciētibus nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt. Loquimini nobis placētia, videte nobis errores. Nec dissimiliter Apostolus Paulus.

2. Timo. 4.

Erit, inquit, tēpus quum sanam doctrinam nō sustinebūt, sed ad sua desideria coaceruabūt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidē auditū auertēt, ad fabulas autē conuertētur.

Esai. 1.

Planè cū Propheta Apostolus hoc docet, prurimum aurium in populo, & cupiditatē errorū, ipsis erroribus viā strauisse; imò vt illi præualerēt in tota causa fuisse. Fit enim vt propter peccata populi dētur pueri principes eorū, & effeminati dominantur eorum. Quod

Esaias

Esaias prædixit. Vel vt Oseas cap. 1. ex-^{Osee 1.}
 pressius monuit, *Erit sicut populus, sic sa-*
cerdos, vt propter populi præcedentia fla-
 gitia, impius post præficiatur sacerdos,
 quasi dignum patella operculum, vel po-
 tius aptum flagitijs flagellum. Sed ad iudi-
 cium Dei illud, non ad hæresis naturam
 spectare dixeris. Fateor id quidem, eò ta-
 men spectat (quod ad rem præsentem satis
 est,) vt hæresis incrementum à populi vi-
 tio ortum cepisse ostendat. Quod quidē in
 re vt Dei iudicia occulta & mirabilia, iu-
 stissima tamen sæpe exercētur, proximam
 tamen factæ seductionis causam ab ipso
 populo, qui seductoribus aurem præbere
 voluit, profectam fuisse negari non po-
 test. Quod sapienter Augustinus contra
 Donat. olim notauit. *Sic fiunt, ait, hæreses*
 & Schismata, *quum dicit plebs carnalis que*
in charitate Dei fundata non est, Ibo post ama-
tores meos, cum quibus utiq, siue per fidei cor-
ruptionem, siue per elationē superbiæ turpiter
fornicatur. Nisi enim seductores isti a plebibus
seductis vicissim seducerentur, quū eis creditur,
 & tales honores deferuntur, vt per eos ha-
 beant potestatem talia dicendi, & sibi talia
 vendi.

De bapt. cō-
 tra Donat.
 lib. 3. cap. 19

vendicandi, ut error eorum veritas appelle-
 tur, & scelus eorū iustitia putetur propter sa-
 cramenta et scripturas quas tenēt ad speciem,
 non ad salutem: nunquam profectō ipsi seducto-
 res hac sibi tanta ac talia arrogarent. Hæc
 Augustinus ipsum reuera totius hæresis
 fontē digito demonstrans & graphicè de-
 pingēs. Etenim quā aliam vniuersę huius,
 quam cernimus in Germania, Gallia, An-
 glia, multisq; alijs in locis cuiusdā quasi de-
 solationis & Apostasię potius quàm herē-
 sis causam hodie extitisse arbitramur, nisi
 quòd ad voces leuissimorū hominū & im-
 purissimorū nouas doctrinas afferentium,
 statim sequutus est applausus populi, sta-
 tim captiui abducti sunt, non solum mulier-
 culæ, sed & viri onerati peccatis, qui ducun-
 tur varijs desiderijs. Nempe populus dilexit
 talia, populum delectabat, contra Clerum
 & Eccesiæ Principes aut audire, aut dice-
 re aliquid noui, pruriebat auribus populus,
 dicentes in cordibus suis, loquimini nobis pla-
 centia. Nisi enim populum ipsum nō tam
 obsequentem, quàm ad huiusmodi anhe-
 lantem, nec tam improbos duces sequen-
 tem, quàm ipsos ad se duces pellicientem
 ac pro-

2. Timo. 3.

2. Timo. 4.

ac prouocantem, & istam quam vocant euangelicam libertatem vltro appetentē, ac auidissimè sitientem, seductores isti inuenissent, vt inuicem etiam ipsi ab hoc applausu populi seducerentur, iam olim cū suis antecessoribus Louiniano, Berēgario, VVicleffo & alijs hæc hodie hæresis damnata ac sepulta iacuisset, nec tam nobiles in Ecclesia dei strages edidisset.

Quæ quidē omnia ne vel ex stomacho, vel leui aliqua cōiectura dicere videar; ecce afferam in medium primū illum horū tēporum Seductorē, ac totius huius factionis Ducē, Schismatis Antesignanum, Hæresis authorem, damnatæ memoriæ Mart. Lutherū, hoc ipsum, quod dico, sua sponte asserentem, vt habeatis confitentē reum. Etenim commemorans ipse in præfatione priore operibus suis præfixa, quasiq; historiam texens initij & progressus doctrine suæ, & successus in ea (vt ait) diuinitus dati, primū *casu se, non voluntate aut studio, in has controuersias incidisse, Deum testans asserit.* Deinde suspensis, inquit, animis expectabant omnes euentum tantæ rei, quam nullus ante me nec Episcopus, nec Theologus

Lutherus in
Præfat. prio
re operum
VVittenbor
ge excus.
an. 1558.

logus ausus esset attingere. Fovebat autem me-
 ritumq; aura ista popularis, quod inuisa iam es-
 sent omnibus artes & Romanationes illa qui-
 bus totum orbē impleuerāt. Hęc ille ibi: Rur-
 sum in altera præfatione: *Vnus*, inquit, *eram*
per imprudentiā in istā causam lapsus, quū nō læ-
ceret referre pedē. Sed hūc multi boni viri meas
propositiones extollebāt. Hinc scilicet illæ la-
chrymę, hęc totius fundi nostri calamitas,
nouatori Lutherō tā facilē aures præbuisse:
Rom. Ecclesię insectatori propter cecū &
præiudicatū eius Ecclesię odiū, statim ap-
plaudisse, & Io Pæā, cecinisse. Sed quī tan-
dē hoc factum est, vt Lutheri propositione-
nes hominibus tū placeerēt? Causam reddit
ipse Lutherus. Inuisa, inquit, iā erāt omni-
bus artes & Romanationes illa. Hoc est dice-
re. Corruptę iam erant hominū mētes cę-
co & præpostero odio, Rom. Curię, non
distinguerē valentium, inter abusus & in-
ter rectum rerum optimarum vsum: inter
auariciam & scelera priuatorum hominū,
& inter publica & necessaria Reip. mune-
ra: deniq; inter vitā & mores hominum,
& inter doctrinā & voces Pastorum. Po-
stremò, iam antequam Lutherus loquere-
tur, erant

rur, erāt homines Lutherani. i. hostes Ec-
 clesiæ Dei. Iā enim exaruerat & refriguerat
 charitas, *in qua radicati & fundati esse*
 debebāt: illa, in quā, charitas, quæ nō deseri
 frumēta propter paleas: illa charitas, propter
 quā alter alterius onera portare iubemur: illa
 charitas, quā nō habet nisi qui diligit Ecclesiæ
 unitatem; illa deniq; charitas seu amor &
 reuerentia Pastoribus debita, de qua dicit
 Saluator, *qua dicūt facite, qua autē faciūt, no-
 lite facere.* Hæc sola charitas, quæ sola facit
 discrimē inter filios Dei, & filios Diaboli, quia
 in multorū cordibus tunc nō fuit, inuenit
 quibus persuaderet Lutherus. Hęc eadem
 in quibus hodiè non est, inueniet si quādo
 loqui liceat, & hic, & quouis alio in loco,
 quibus nullo negotio persuadeat Luthe-
 ranus quispiā, aut alius seductor quiuis, etsi
 alioqui homo is sit siue indoctissimus, siue
 impurissim^{us}. Nec enim huiusmodi homi-
 nes aliud faciūt, quàm arefactis iā lignis pa-
 leis, & stipulis ignē admouere. Follibus &
 stibellis nō est op^{us}. Sine impetu, sine impul-
 su accenditur hæresis, vbi semel refriguit
 charitas: vbi super fundamētum non aurū
 & argentū bonorū operū, sed fæx, ligna,
 & stipu-

Ephes. 3.

August.

serm. 18. de

verbis Do-

mini.

Gal. 6.

August. de

bapt. contr.

Donat. lib.

3. cap. 16.

Matth. 23.

Tract. 5. in

Epist. Ioan.

& stipulæ operum carnis superextruuntur;
Imò absq; apposito extrinsecus igne, absque
seductoris opera, huiusmodi paleæ
sepenumero ex semetipsis concipiunt flā-
mam, excitant discordiarum incēdia, recedunt
è grege, Pastorem deserunt, schismata faciunt.
Quot hodie homines absque seductoris alicuius
opera, nec audito aliquo pseudoprædicante, nec
lectis Protestantum libris, nec Principum metu
impulsi, sed contrà à Catholicis Pastoribus
diligenter instituti, ex fama tantum Evangelicæ
huius libertatis illecti & attracti, ex solo odio
Ecclesiæ Dei incitati & impulsivi, sub
Catholico Principe fæliciter agentes, exierunt
tamen, & Schismati hodierno sese adiunxerunt?
Quod nisi domestica huius Belgij exempla
nimis aperte & luculenter oculis nostris
subijcerent, esset fortasse aliquot
exemplis demonstrandū. Non ergo vel ex
ipsius nouæ huius doctrinæ aliqua
probabilitate, vel ex ipsorum pseudoprædicarum
aut eruditione aliqua singulari, aut
sanctitatis specie (quæ duo simplicioribus
aut infirmioribus facile imponunt) sed ex
sola ista carnalium hodie

die

die hominum & palarum ac stipularum
 multitudine ingenti, ex completa homi-
 num malitia factum est, vt tot hodie gen-
 tes hæresis ista carnalis peruagata sit.

Quod si cui adhuc minus probabile vi-
 detur, respiciat ille mihi tãtis per proximas
 Maiorum nostrorum ætates: reuoluat Ec-
 clesiæ historiam ab annis ducētis, trecen-
 tis, quadringentis. Meminerit grauissimas
 Germanorum, Gallorum, Anglorum &
 aliarum gentium querelas contra Rom.
 Curia (vt illi dicebãt) auaritiam, ambitio-
 nem, tyrannidem. Legat acerbissimas Im-
 peratorum quorundã offensiones contra
 sui temporis Romanos Pontifices Fride-
 rici Barbarossæ, & Henrici 2. Anglorum
 Regis contra Alexandrum 3. Henrici 4.
 contra Gregorium 7. Hildebrandum di-
 ctum, Henrici 5. contra Pascalem 2. Phi-
 lippi contra Innocentium 3. Ludouici 5.
 Bauari contra Ioannem 22. & Philippi
 Pulchri Gall. Regis contra Bonifacium 8.
 Ioãnis Anglorum Regis contra Innocen-
 tiũ 3. Videat deinde scriptas à viris doctis
 his de rebus querimonias graues, acerbis,
 amarulãtas pro Imperatorum iure (vt illi

*Naclerus.**Sabellicus.**Abbas Vr-**spergensis.**Pantaleõ in**Chronica.*I *assere.*

In volum o-
perum de Iu-
risdict. Im-
periali &c.
Basil. an. 66.

afferebāt) contra Romanos Pontifices, ve
Leodiensis Ecclesię prolixā epistolā con-
tra Paschalem 2. Venerici Vercellēsis E-
piscopi contra Gregoriū 7. pro Hērico 4.
Dantis Aligerij de Monarchia libros tres,
Marsilij Patavini Defensoriū pacis, aliaq̄s
permulta Guilielmi Occā scholastici, Ni-
colai Cusani Cardinalis, Ioan. de Parrhi-
sij Doct. Theologi, scripta in lucē edita.
In quibus omnibus cōtra Rom. Curie vi-
tia, abusus & tyrannidem (vt illi loquūtur)
magna & mali exēpli libertate disputatur.
Nec tamē isti vel Imperatores, vel Scrip-
tores alioqui Catholici à Rom. Ecclesię
vnitate sibi propterea recedendum, aut
Schisma faciendū putaruūt: multò minus
Blasphemias hæreses in odiū eius Eccle-
się (quod Lutherus fecit, vt ipsemet seip-
sum prodit in epistola ad Argentoraten-
ses) inducēdas existimarūt. Imò (quod ad-
huc multò magis admirandū venit) eodē
hoc tempore quo tā graues essent contra
Rom. Ecclesiā, populorū & principū offē-
siones, nō deerāt seductores aperti qui idē
docerēt quod postea Lutherus, nec tamē
illis fides vel à populis, vel à Principibus
habita

habita est. Quū totū Imperiū in armis esset propter Philippū Imperatorē, quē cōtra Othonē 4 ab Innocent. 3. cōfirmatum Principes Electores laici elegerāt, Almaric^o suas hēses rāto tumultu propagauit, vt cogeret cōtra eas Cōciliū Latranēse: nec tamē qui Philippo contra summum Pontificē & clerū totū fauebāt, Almarico seductori adherere voluerūt. Sic in maxima illa contentione inter Alex. 3. & Frid. Barbarossā V valdēs zizania sua seminarent. Sic deniq; quū eodē tēpore & propter Hussitas & vicleffī progeniē ac Lutheri proauos, & propter fædissimū Schisma circa Rom. Ecclesię Pontificatū, tribus vno tēpore se pro Pontificibus gerētibus, Generale illud Constantiense Conciliū cōuocaretur: nō est tamē aut propter tam graue scandalū, aut propter rātos seductores, ab Ecclesię Rom. vnitate discessum. Quā tādē putam^o aliā hui^o rei causam esse posse, quā quòd hodie quidē, quū Luther^o & sui seductores agere ceperūt, planē abundauit iniquitas, planē oīs refriguit charitas prors^o cōpleta est malitia? Maiorū autē nostrorum etate, etsi magna tū fuit hominū

*Platina lib
Innoc. 3.*

I 2

iniqui.

iniquitas, grauis temeritas contra Christi Vicarium, fæda adulatio Principum secularium, ingens insolentia priuatorum hominum: sic tamen erant illi ipsi in charitate (de qua modo diximus) radicati & fundari, vt à fide Maiorum, ab Ecclesia Dei, à Religione Catholica, nullo modo se abduci paterentur. Restat ergo, immanem, incredibilem, & maiorem quàm quæ verbis exprimi possit, hominum & populorum iniquitatem, morum ac vitæ turpitudinem hodie fuisse, qui hæreses istas tam facile admiserint, tam auide amplexi fuerint, denique tantos progressus facere passi sint. Sequitur etiam, non minorem, imò maiorem illorum hominum seu impietatem, seu imprudentiam fore, qui etiam tantis aliorum periculis feliciter edocti, istis hæresibus vllum vel minimū aditum posthac patefieri patiētur. Sequitur deinde, vnicum & optimum cōtra has & omnes hæreses remedium esse, bene viuere, in charitate radicari, & fundari: super petram ædificare, non super arenam: ædificare quoque non lignū, scænum, & stipulas, sed aurum, argentum, & lapides pretiosos;

vt si

vt si tempestas etiam hâc forte transierit, si ventus nouæ doctrinæ etiam hoc in loco (quòd absit) insonuerit, tamen stet solida & inuicta domus nostra: nec circumferamur vt paleæ, sed in area Dominica, tanquam plena ac turgida grana, immoti persistamus.

An huiusmodi granis & frumentis Dominicis Ecclesiæ huius Belgicæ area repleatur, an potius palearum numerus excedat: an passim abundet iniquitas, refrigeret charitas: dominetur flagitia, exulet pietas: an populus, inquam, ipse in vera Ecclesiæ Dei. i. superiorum suorum & ministrorum Dei charitate radicatus & fundatus persistat, non est meum hoc loco discurre. Pastoribus illud & Ecclesiasticis declamandum, vnicuique etiam apud se ex publica rerum experientia expendendum relinquo. Verùm istud ausim intrepidè affirmare. Si florentissimum hoc Belgium in charitate radicatum & fundatum persistat, si scelera, flagitia, inobediëntia, reliquamque omnem impietatem dominari non sinat, fore vt prorsus immune ab hac hæresum contagione fælicissimè
1 3 persistat,

persistat, sicut hæcenus fæliciter persti-
 tit. Hoc si non facit, sed vel hominum
 aut ordinum aliquorum, vel status aut
 gentis alicuius odio atque inuidia transf-
 uersos se agi, & à charitate excidere se-
 se patiantur (nolim quidem malus omi-
 nator esse,) sed hoc sanè liberè dicam: il-
 lud facient, quod & his, & alijs hæresi-
 volent, claudere nequeant. Nam & o-
 dium, liuor, inuidia, mutua discordia o-
 bus ianuam aperiet, quam postea quum
 nes hèreses intromittit, & semel intromis-
 sa hæresis non tam facilè è finibus eijci-
 tur, quàm nondū admissa auertitur. Exē-
 plo & documento nobis esse possit ad v-
 trūque id quod iam postremò dixi, factū
 illud Bonifacij Comitibus alioqui Catholici
 viri, qui propter priuatā similitatē contra
 Imperatorē Valentinianū Iuniorē, ab eo
 falsò in suspiciōnē vocatus, Vandalos &
 Alanos homines Arianos in Affricam in-
 duxit, qui pulsus, occisus & crudelissimum
 in modum maētatis Catholicis, Arianis-
 mum per totam Affricam erexerunt, ne-
 quicquam postea ipso reluctantē Bonifa-
 cio: Factū quoque Stiliconis, qui ob parē,
 sed dis-

Paulus Dia-
 conus lib.
 14. histo-
 riarum.

sed dissimulatâ similtatem cum Honorio Imperatore, Gotthos in Europâ inuexit, per quos Arianismus Italiâ infecit, Hispaniâ ad multos annos penitus perdidit: & ut vnû puerû purpura indueret, totius ferè humani generis sanguinem fudit, ait Paulus Diaconus, lib. 13. Historiarû. Doce re etiam hoc potest vicina Anglia, vbi Principis priuatum contra Rom. Pont. odium, turpe repudium approbare no- Henr. 8. lentem, primùm schisma, postea puti- dissimas omnis generis hæreses inuexit, quas Rex ipse licet omnia tentaret, a- uertere postea non potuit. Doceant idem postremò hîc in proximo foedæ Galliarum cædes ac strages, vbi propter similtates priuatas duarum potentissi- marum familiarum, penè iam obtinu- nit Calvinismus, nec adhuc illa flam- ma extincta est. Facit enim certè om- nis iniquitas ad hæresim aditum. Sed o- dium, similtas, inuidia, patentissimam illi sternit viam, allicit, inuitat, fouet. *Schisma enim* (ait Optatus) *sparsa coagulo pacis, dis- sipatis sensibus generatur, liuore nutritur, &* Lib. 1. cõtra Parmen. *emulatione & litibus roboratur.* Contra,

De bapt. lib.
3. cap. 16.
tract. 33. in
Ioan.

omnis bene acta vita egregium est contra omnes hæreses remedium. Caritas autē & mutuus proximi, maximè totius Ecclesię propter Deum amor, presentissimum est & validissimum cōtra huiusmodi malum amuletum. Quemadmodum enim *non habet Dei charitatem, qui Ecclesię non diligit unitatem* (vt grauius cōtra Donatistas sæpe scripsit Augustinus) sic illam qui labet, hanc necessariò diligit: diligendo obsequitur, obsequendo tenet, tenendo adhæret, nec vlla se ratione ab hac Domini sui Sponsa diuelli patietur. Sic hæresis auertitur: sic à populis & gentibus facile cauetur, ne vnquã præualeat, seductio; utcunque exurgant seductores. Sic hætenus ab hæresi hodierna immunes illi populi fuerunt, & adhuc sunt, quotquot ista adhuc tempestas non inuoluit. Sic etiam deinceps immunes semper erunt: alioqui cum cæteris similia passuri, aut etiam fortè grauiora; quò minus aliorum exemplis vndequaq; appositis cauere, & sapere noluerūt, si in hac quã dixi charitate radicati & fundati perpetuò persistere non velint.

Sunt quidem alia media quibus hæreses ar-

ses ar-

les arceantur, vt leges & edicta Principum, vigilantia Pastorum, frequens & in Scholis, & in Ecclesijs Doctrina. Sunt & aliæ causæ quæ hæresim fouent, vt Principum fauor, nouitatis studium, & ad credendum quibusuis vel credula simplicitas, vel improba temeritas. Sed & frustra illa media quærentur, si flagitiosè viuitur, & parū illæ causæ nocebunt, si pietas adsit *in charitate radicata atque fundata*. Est ergo propagandæ heresis causa maxima, propria, perpetua, vita hominum flagitiosa. Est ad auertendam heresim remedium optimum, validissimum, vnicum, *sobriè, & iuste, & piè vivere in hoc seculo*. Video me longius Tit. 26 oratione prouectum esse quàm putabam, nec posse exhausta iam clepsydra de altera illa acquirèda felicitate, id est, de officio pij & prudentis viri, qui inter medias hereses ià introgressas & dominatū obtinentes, instituitur, cōuersatur, viuit, hoc iā tēpore differere. Quare illa parte in aliud tēpus reiecta, cū in hūc nos locū aut hæc, aut similis occasio ad perorādum inuitabit, ad nostrum iam candidatum me conuerto.

D I X I.

I 5

DE OFFICIO PII
VIRI INTER MEDIOS
HÆRETICOS AGEN-
TIS.

✠ Oratio in Comitijs Doctora-
libus habita.



MANARVM rerum indagator sagacissimus, & vanitatum huius seculi contemplator acerrimus Sapiens ille Salomō, inter cætera multa humanæ vitæ documēta, etiam illud sapientissimè in suo Ecclesiaste tradidit: *Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua; quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud: et si utrunque simul, melius erit.* Quod alijs verbis, & aperitius vestigijs huius insistens Ecclesiasticus monuit, dicens: *In die bonorum, non immemor sis malorum.* In quibus sanè verbis docuit nos Spiritus S. eam in rebus lætis atque iucundis moderationem tenere, vt nec prosperis præsentibus elati, nec de futuris aduersis securi, de his potius inter
media

Eccles. 11.

Eccles. 11.

media bona prospicere & cogitare (quæ est omnium rerum vicissitudo, & in alteram ac deteriore[m] fortunam proclivior lapsus) quàm in præsentibus bonis nulla mala formidare, aut humanæ fælicitatis constantiam aliquam esse existimare velimus. Huius rei exemplum illustre & documentum sempiternum, vir ille sanctissimus ac sapientissimus Iob occurrit. Ille enim cum vir ditissimus esset, haberet liberos plurimos, omnes opulentos, in maxima rerum affluentia positos, qui facerent conuiuia per domos vnusquisque in die suo; sic tamẽ in diebus bonorum non immemor erat malorum, vt cum in orbem transissent dies conuiuij, mitteret ad filios suos Iob. 1. Iob, & sanctificaret illos, consurgensq; diluculo, offerret holocausta per singulos: Dicebat enim, ne fortè peccauerint filij mei in cordibus suis: & addit Scriptura. Sic faciebat Iob cunctis diebus. Nobile & illustre imprimis exemplum tum sapientis viri & ad vtramque fortunam comparati, tum diligentia paterna ergo filios suos. De quibus etsi maximas lætitiæ causas haberet, metuere tamen & formidare tempesta-

tempestatem maluit, quam de pręsenti serenitate, læto & exultanti animo securus esse.

Quidni verò & eodem nos hodie animo esse, easdem cogitationes induere par est? Alma parens nostra celeberrima hæc Academia Duacensis, Schola hæc Theologica magnam hodie lætitiã præ se fert. Ad huius diei solennitatem nouo gaudio exultat, & laborum præteritorum oblita in quibus quotidie desudat, hodie frontem exporrigit, nec meminit amplius præssuræ, quia natus est homo in mundum. Imò tanquam altera Rebecca post aliquantam sterilitatem, gemellos factus peperit. Duo noua in Academia lucem lumina produxit: non quidem talia, vt alterum dilexerit, alterum Deus odio habuerit, vt de gemellis illis, Iacob & Esau Scriptura meminit; sed contrà, ambos Deo charos, religione, eruditione, fidei confessione, ambos illustres: quorum alter à teneris annis seculũ & spem seculi, alter ab aliquot iam annis patriam, fortunas, & spes omnes amore Christi dereliquit, amisit, abiicit. Maximam
profecũ

profectò, charissimi filij, hæc mater ve-
stra de vobis hodie læticiam ac iucundi-
tatem concepit. Ecce enim duas gentes
videt in utero suo, & duos populos ex
ventre suo diuidi. Nam tu quidem, reli-
giosissime Turpini, nobilissimo tuo Bel-
gio, insigne Decus futurus, hanc illustrem
& sanctissimam gentem, in qua natus es,
Deo tuo conseruabis, ac populum Dua-
censem, imò Artesiam totam sacris tuis
concionibus, singulari vitæ sanctitate, in
Catholica fide & officio continebis. Tu
verò, grauissime & eruditissime Bristoe
(te enim & gentem tuam posteriore lo-
co hîc compellare debeo, etsi maior sis
filius, quia & hîc quoque maior seruiet
minori) genti illi tuæ vtinam tam piæ
quàm potenti, vtinam tam religiosæ &
fidei, quam feroci & opulentæ, vt nunc
ornamentum es clarissimum quasi lumi-
nare in medio nationis prauæ, ita adiu-
mentum olim & patrocinium futurus es
maximum, vt suscites illic Tabernacu-
lum David, & reedifices diruta Iacob pa-
tris tui. Hunc ergo gemellum ferum, hoc
tam nobile par luminum, hæc Duarum
gentium

*Fr. Ioan.
Turpin.
Prior Do-
minicanorū
Duaci.*

*M. Richar-
dus Bristois
Anglus.*

gentium ornamenta ex utero suo hodie vno partu prodeuntia, ingenti animi læticia excipit, celebri triumpho ornat, celebritate hac maxima, & frequentissimo hoc confessu suo, honore prosequitur Schola hæc mater vestra, imo vniuersa Academia. Sed quia monet nos sapiens, vt in die bonorum nequaquam immemores simus malorum: quidni cum beato Iob, sanctificemus hodie hos filios nostros & per illos hanc reliquam prolem quã adhuc parturimus in Domino? Quidni offeramus holocausta per singulos, etiam in diebus conuiuij, in die hac solennitatis & lætitiæ ipsorum? Quid verò est aliud sanctificare hos filios, quàm id agere vt sancti sint, ne fortè peccent Domino in cordibus suis? Sancti enim profectò iam sunt, & filij Sanctorum, quia fidem & Sacramenta tenent, quæ sanctam Ecclesiam constituunt. Vt ergo in eadem sanctitate persistant, vt ab hac vnitare fidei in qua nunc stant, nunquam sese auelli patiantur, id verò, si non displicet, filios nostros præmonebimus.

At quor-

At quorsum istud, dicet quispiã. Quid enim ab his filijs metuas in pace Catholica, sub Rege Catholico, animo & pectore Catholicissimo, viuentibus? Sanè quod metuit ille optimus pater Iob: Ne fortè mutata olim rerum facie, & hac pace Catholica in schisma turbulentum transeunte, peccent in cordibus suis relicta vnitate & nouitatem amplexi. At vanus, inquires, hic metus est. Melius de hoc nostro Belgio, melius de his filijs Duacensibus cogitare & sperare debebas. Ego verò optima spero & confido. Sed da etiam veniam amori. Nam res est solliciti plena timoris amor. Da veniam, si in pacis tempore de bello prospiciam. Da veniam, si in die bonorum, non immemor sim malorum. Quanquam tamen quis paulò cordatior, post fælicissimam hæctenus in his locis vnitatis Catholicæ pacem, aliquas hïc tandem in Religione turbas merito non reformidet? An nescimus, vndique in proximo hanc flammam depasce, nec tam ceruicibus nostris hunc gladium imminere, quàm in ipsis iam visceribus ac coniunctissimis membris

2. ad Timo. 2. membrum nostris alicubi apertè grassari, v-
 bique clanculum serpere? An ignoramus,
 huius generis hunc morbum esse, *ut ser-*
pat t̄quam cancer? Aut meliores sumus pa-
 tribus & fratribus nostris, qui ante ocu-
 los nostros hęc passi sunt? Certè manus
 Domini, flagellum Dei, est hoc tam im-
 mane & penè vniuersum, Christiani or-
 bis schisma. *Calix, inquam, est in manibus*
Domini vini meri plenus mixto. Et inclina-
uit ex hoc in hoc, ex hac gente in illam
tanquam tempestas transijt: Veruntamen
fax eius non est exinanita. Bibent omnes pec-
catores terra. Vbi enim causa morbi ea-
 dem est, signa, fomenta, & symptoma-
 ta eadem, vt aliàs hoc loco copiosè o-
 stendimus, morbum quoque ipsum in-
 ualiturum dubitare vix possumus. Vbi ea-
 dem preualiturę heresis signa, fomenta,
 preſidia; luxus, pompa, dissoluti mores
 in Clero: odium, inuidia, & superbia
 in populo: abundans iniquitas, refriges-
 cens charitas: ipsam quoque heresim pre-
 ualituram semel plusquam probabile est.
 Sed vtinam vanus, planeque vanissimus
 hic noster metus sit. Vtinam nullum hęc
 pericu-

periculum subfit, in quo tamen maximum & præsentissimum subesse ego censeo. Saltem ex sapientis consilio & paterno affectu istud præmonuisse, me quidem non pigebit: vos autem Auditores Ornatissimi plurimū, vti arbitror, iuua-
bit: & vel contra periculum imminens aliqua ex parte armabit, vel satis armatos in ea qua statis sententia confirmabit.

Quum itaque in Licentiæ laurea, non ita pridem hoc in loco me Præsede collata, de causis omnium hæresum, maxime ita hodie grassantium & præualentium disserterim, nosq; ab illis causis immunes minimè esse metuendum meritò sit: id nunc agam, quod eo tum loco ac tempore acturū me olim profitebar, vt videlicet Officium pij viri, ipso iam grassante Schismate, quale esse debeat ostendam.

Argumentum sanè & huic tempori pernecessarium, & longè amplissimum: cuius partes omnes persequi si nunc vellem, prolixior æquo futura esset oratio. Itaque, præcipuas tantum attingam: ita sanè vt semina potius argumentorum spargam, quàm vt iusto labore vniuersum hūc

Propositis.

K dicendi

dicendi campum excolendum suscipiam̄.
 Vos, quæso, diligenter quod facitis atten-
 dite, & singulari huic humanitati vestræ,
 qua singulos hæctenus clarissimos viros
 perorantes patienter audistis, hunc nunc
 cumulum addite.

Statms.

Fingamus ergo (atq; vtinam fingamus,
 nec in periculum semel veniat cuius nūc
 figuram conijcimus) grassari etiam hoc
 in loco, in his mænibus, in hac celeberrima
 Academia turbā illam schismaticā at-
 que hæreticā, seu Martinianam, siue Cal-
 uiniam, siue denique Anabaptisticam:
 audiri in pagis, in vicis Pseudoprædicantū
 voces, conspici mensas illas prophanas
 altarium loco, cessare iuge sacrificium,
 tolli è medio Sacramentorum vsum, Cru-
 cifixi Saluatoris nostri omniumque sanc-
 torum monumenta & signa subuerti, deni-
 q; id agi h̄c duaci, quod in Germania, in
 Gallia, in Anglia, multis iam annis actum
 est, quod in Hollādia ac Zelādia (proh do-
 lor) nunc agi ceptum est. Quo hic animo,
 qua mente p̄ium ac Catholicum virū es-
 se decet, ne & illum turbulēta tempestas
 inuoluat, ne fidem hæretica pestis corri-
 piat, ne

piat, ne à societate Catholica schisma di-
uellar? An eius generis varias hodie de Re
ligione sententias esse putamus, vt quia
Christum omnes profitentur, perinde sit
cui parti adhæreas, & in omni secta salutē
te reperire posse confidas? Sanè, inquit
quidam hodie mendaces Magistri, quia
fundamentum omnes tenemus, Symbo-
la omnes amplectimur, Apostolicum il-
lud, Nicenū, & Athanasij, Constātinopo-
litanum, aliorumq; antiquiorū Concilio-
rū, omnes Christiani & Catholici sumus,
vtcunque vel in ceremonijs & ritibus dis-
crepam^o, vel in quæstiūculis quibusdā ali-
ter sentimus. Itaq; modò pacē cū omni-
bus colam, nec aliter sentientes iudicem
atq; codemnem, me Catholicum esse nō
ambigam. Ita sanè quidam officium pij vi-
ri definiendum hodie putarunt.

*Vni ac solū
Catholicæ
ecclesie esse
adherēdū.*

*Libellus a-
nonymus de
officio pij vi-
ri sic docet.*

Cæterum hæc non tam sentētia, quàm
demētia, & suū potius Epicureū & atheū
redolens, quàm sapiente & sobrio digna,
licet multis argumentis fortissimè reuelli
posset, nunc tamen pro multis hoc vnum
dicam. Symbolum Apostolicum, Nicenū
& Constantinopolitanum te profiteris
K 2 amplecti

amplecti. At in eo habes, credere te Ecclesiam vnam, sanctam, Catholicam, Apostolicam. Istud verò quid tandem esse existimas? An vt credas quidem esse huiusmodi aliquam in terris Ecclesiam; sed vbi illa sit, & an tu ad eius membra pertineas, quæ & quanta sit eius potestas, quid illi Reuerentiæ, quid Obedientiæ debeat, quæ Doctrina, quæ mysteria, quæ Sacramenta eius sint, nihil tuâ referre? Equidem sic Paganismum, Turcismum & nullas non sectas crediderim. Nam illas extare in orbe, nimium habeo compertum. Dubitas ergo, te sic in Symbolo credere Ecclesiam, vt nō solum esse huiusmodi quiddam firmiter credas, sed planè ea omnia credas, quæ credit Ecclesia? eam fidem teneas quā tenet Ecclesia? eas hæreses damnes quas damnat Ecclesia? Maximè, quum vnam illam esse profiteris. Si enim vna est, non in quibusuis sectis, sed in hac vna & sola salutē expectes oportet. Hoc enim esse proprium veri populi & Ciuitatis Dei, vt vnā certam Religionem teneat, Ciuitatis autem Babylonicæ vt promiscuè falsa cū veris doceri sinat, pulchrè demonstrauit S. Augu-

Augu-

Augustinus. Tu ergo Catholicus quum
fis, & vnus Catholicæ membrū, hoc an-
te omnia persuasissimum habere debes,
ab hac vna recedendum non esse: sectas
alias omnes quas ista condēnat, à te quo-
q; toto pectore anathematizandas esse: &
hoc esse quod in Symbolo profiteris cre-
dere te Ecclesiam Catholicam vnā &c.
Deniq; non nisi in hac vna Christi nomē
profiteri te posse: *nec putare*, vt olim Do-
natistæ putabant, quum adhuc liberè a-
gerent quod vellent, *nihil interesse vbi fi-*
dem Christi tenerent: sed (vt ijdem iam per
Imperatorum leges correcti iudicabant)
hoc vni Deo congruere, vt in vnitāte colatur:
quemadmodum commemorat Augusti-
nus. Quam etiam ob causam & ille prop-
ter Donatistas, & ante eum Cyprianus
propter Nouatianos à schismate reuocā-
dos, aureos illos libellos scripserunt, *de v-*
nitāte Ecclesie. Vbi inuictis & multis ar-
gumentis docēt, non posse illos in Chri-
stū credere, qui Ecclesiam non credunt:
non posse illos Deum patrem habere, qui Ec-
clesiam non habent matrem: vel denique
vt loquitur Augustinus, *eos qui vnitati*
K 3 *Ecclesie*

De Ciuit.
Dei lib. 18.
Cap. 41.

Augustinus
epist. 48. ad
vincentium.

Cyprianus
dicto libro.

August. de
vni. eccl.

cap. 4.

Lib. 1. epist.

6. ad mag-
num.

ad Ephes. 4.

Luc. 10.

*Ecclesia non communicant, etiam ab ipsius Christi testificatione dissentire. Quam ob causam & Nouatianos symbolo non credere probat Cyprianus, & Arianos Ecclesia nō tenere probat Hieronymus in dialogo contra Luciferianos: quanquam & hi non de Ecclesia, sed de Christo litem mouerent, & illi non contra Christū, sed contra Ecclesiam eiusque potestatem disputarent. Existimare denique debes, adeo esse vtriusque Christi & Ecclesie inseparabilem nexum, tam magnum esse hoc sacramentum, tam arctam copulam in Christo & Ecclesia, vt alterum qui neget, vtrumque negauerit, & frustra se Christianū vocet, qui Ecclesie vnitatem non tenet: ipso Christo de Ecclesie sue magistris dicente; *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*: vt propterea falso & frustra Deum se putet habere patrem, qui Ecclesia non habet matrem.*

Bene ergo habet. In vna fide, in vna Ecclesia manendum est. Animo & voluntate ad alias sectas accedendum non est. Cæterum quæritur, an idem quoque palam semper & in casu iam proposito profiteri

fiteri

fiteri necesse sit. Quæritur inquã, an gra-
fante iam & præualefcente aliqua secta, vt
in Hollandia & Zelandia magna ex parte
nunc fit, disiecta Ecclesiæ acie, perturba-
tis ordinibus, non minus quã in ipsa Ec-
clesiæ pace, vero & apertu vultu Catho-
licum te præbere & profiteri sub pericu-
lo satis æternæ necessariũ sit. Audio enim
Apostolum ad Romanos dicere, *cor de cre-*
ditur ad Iustitiam, ore autem fit confessio ad sa-
lutem. Audio illũ apud suos Corinthios,
providere bona non solũ corã Deo, sed etiã co-
rã hominib⁹. Audio deniq; illũ suis Thessa-
lon.^{bus} scribere: *Ab omni specie mala abstinete*
vos. Et in causa fidei hoc potissimũ obtine-
re nõ dubito. Sed in huiusmodi rerũ mo-
tu, dominantib⁹ Sectarijs, & heresum Ma-
gistris, an nihil tẽpori, nihil necessitati cõ-
cedẽdũ sit, an ab omni prorsus huiusmodi
hominũ cõsortio ac communione neces-
sario abstinẽdũ, id fortasse quẽri & dubita-
ri meritò potest. Et, vt apertius dicã, quid,
ĩquies, periculi est si novos hos prædicãtes
interdũ audiero, si libros eorũ legero, si ar-
gumẽta vt fortius cõfutẽ intellexero, si ĩ-
eptias vt magis eos rideã, animaduertero,

Professionã
fidei esse ne-
cessariã et
quatenus.

Rom. 10.

2. Cor. 8.

1. Thessa. 50

si conuentus eorum prophanos atq; ridiculos, vt in nostra sacratissima Religione magis confirmer, cōspexero? Dicā adhuc ampli°. Quid piaculi aut periculi, si ad tēpla eorū orationis causæ accessero, si etiā Sacramenta ab eorū manibus percepero? An propterea fidem negasse, aut ab Ecclesie vnitate excidisse videri potero, si interea in fide & pace Catholica animo & consensu perstitero? Grauis sanè et multiplex hæc quæstio est, & cui paucis satisfacere velle, esset exigua scapha altitudinē maris emetiri te posse putare. Dicam tamen ad singula aliquid, vt potero breuissimè, & ad rem appositè.

Nulli in cō-
hereticis sa-
cramentorū
communio-
nem esse o-
portere.

Et vt à postremo incipiam, quod est grauissimum, atq; in ijs quæ leuiora vidētur (sunt tamen æque graua) desinat oratio, Sacramentorum communionem nullam prorsus cum Hæreticis aut Schismaticis intercedere debere, ita clarum & cōpertū est, vt de ea re differere velle, esset forrasserem clarissimam disputando ambiguum facere. Hoc vnum dicam, non aliam esse vnus Religionis certissimā notam, quam eorundem Sacramētorum vnā atq; ean-

atque eandem societatem. Hoc enim vnū pro validissimo argumēto sumit Augustinus, nullam fuisse apud Philosophos verinominis Religionē, eò quòd scholas haberēt dissidentes, & templa communia: eadē sacra in templis susciperēt, contrarias sententias in scholis personarent. Contrà, hoc vno argumēto apud solos Catholicos Christianos esse veram Religionem demonstrat, quòd non solùm ab illis abhorrerēt, qui in ipso Sacramentorum ritu & cultu externo, apertè discrepant, vt à Manichæis & illis similibus, sed etiam ab illis, qui paria Sacramenta & ritum non dispari celebrantes, sola sententia & doctrina dispares essent: vt quorum doctrinam non approbarēt, nec Sacramenta cum illis communicarent. Sicuti de Photinianis, Arianis, & alijs permultis notat, in lib. de vera Religione. Nempe vnus est hic, nec minimus, Sacramentorū finis ac vsus, vt societatem fidei populi, tanquam vincula & nexus quidam colligarent. Neq; enim in vllum nomen Religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur: vt cō-

August. de
vera relig.
cap. 5.

Lib 19.
Cap. 116

tra Faustum Manichæum docet August. Quæ si ita sunt, vnitatem Catholicus tenere non potes, qui cum hostibus vnitatis in Sacramentis communicas. Sunt enim retinendæ vnitatis vincula & nexus, sunt societatis Christianæ notæ & Characteres diuina Sacramenta, quæ propterea ab hoste, aut apud hostem, non nisi transfuga potes accipere. Ad illâ enim sectam vnusquisque pertinet, in qua Sacramenta percipit. Quod illi Sâctissimi Maiores nostri rectè intellexerant, qui extrema pati maluerunt, quàm ab hæreticis, vel cum Hæreticis Sacramenta accipere. Habes huius rei illustre exemplū Constātinopolitanos

Sozom. lib.
4. cap. 19.

Theodor.
lib. 4. cap.
16. & 14.

Ambros. de
obitu Satyri
fratris.

Catholicos, qui nullis tormentis adigi poterāt, vt cum Macedonio Hæretico communicarent; apud Sozomenum lib. 4. cap. 19. Idē de Edeffenis Catholicis videre licet apud Theodoretū lib. 4. cap. 16. & de Samosatensis lib. 4. cap. 14 hist. Ecclesiasticæ. Legis hoc nomine laudatum Satyrum Ambrosij fratrem apud ipsum Ambrosium in sermone de obitu eius. Moyses quoque celeberrimus Monachus eodem nomine celebratur apud Theodoretū lib. 4. cap. 21.

Hermi-

Hermigildum quoque Hispanum Regis
Arriani filium hoc nomine martyrio affe- Greg. dial.
lib. 3. cap. 31.
ctum legis apud Gregorium magnū Dia-
log. lib. 3. cap. 31. Africanorum autem Ca-
tholicorum infinitam turbam mille cala-
mitates hoc nomine passam legis apud Victor lib.
2. & 3.
Victorē lib. 2. & 3. de persecutione Van-
dalica. Dies me deficeret, si huiusmodi ex-
emplis recensendis immorari vellem.

At, inquires, etsi Sacramētis communi-
care non liceat, precibus saltem & Officijs Hereticorum
templa non
adeūda, nec
cum illis or-
randum.
eorum interesse, vnāque orare licebit, ea-
que de causa eorum conuentus siue tēpla
adire, nefas non erit. Nec hoc quidem ho-
mini Catholico vlla ratione licebit. Neq;
enim minus oratio, quā Sacramētorum
vſus, vnitatis argumenta, notæ & vincula
sunt arctissima. Hanc ob causam oratio illa
Dominica à Salvatore dictata communis
est nō priuata cuiusq;, & omniū atq; totius
corporis nomine probata, nō huic aut il-
li propria. Volēs quoq; in Euāgelio Salua-
tor eū demū orandi modū qui fructuosus
esset futurus docere, *Si duo, inquit, ex vobis* Matth. 18.
Cyprianus
lib. de vnit.
Eccl.
*cōsenserint super terrā, de omni re quācunq; pe-
tuerint, fiet illis à Patre meo. Vnanimitatē pri-*

posuit

posuit (ait Cyprianus) concordiam pacis antè
 pramisit, vt conueniat nobis, fideliter & firmiter
 docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo
 conuenire, qui cum corpore ipsius Ecclesiæ
 & cum vniuersa fraternitate non conuenit?
 Itaque Dominus de Ecclesia sua loquitur, ad
 eos qui sunt in Ecclesia loquitur, quum dicit:
 Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine
 meo, ibi ego sum in medio eorum. Hæc Cypri-
 lib. de vnitae Ecclesiæ. Sic & Augusti-
 nus. Ille, inquit, in templo Dei orat, qui orat
 in pace Ecclesiæ, in vnitae corporis Christi,
 quod constat ex multis credentibus in toto or-
 be terrarum. Non ergo fructuosa, sed sacrile-
 ga illa oratio est, quæ in Schismate fit,
 iuxta illud Dauidicum: *Fiat oratio eius in
 peccatum.*

In prefat. e-
 narrat. in
 Psal. 130.

Psal. 108.

Concedo, inquires, quando ab ijs qui
 Schismati consentiunt, in Schismate ora-
 tur. Sed si solo corpore præsens, toto ani-
 mo alienus, vnà cum Schismaticis orem,
 nec quia placet illa nouitas aut societas,
 sed quia impulsus & coactus illis me ad-
 iungo, an propter præsentiam illam & in-
 uoluntariam & solùm corporalem, Schif-
 matis reus peragar, & orationem sacrile-
 gam fe-

gam fecisse censebor? Omnino, si Spiritum sanctum in Scripturis loquentem audis. In schismate illo Chore, Dathā, & Abiron, clamat ad populū vniuersum Moyses: *Separamini à tabernaculis istorum hominum, & nolite tangere quae ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Hic enim non authores tantum, & animo participes schismatis, sed & praesentes inuenti, pariter à Deo puniendi ostenduntur, vt docuerunt ex hoc loco sancti Patres, Cyprianus & Chrysostomus. Propterea Dauid in persona fidelium omnium dicit: *O diui Ecclesiam malignantium, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Quibus verbis non consensum tantum, sed & accessum negat impiorum cætibus. Quod quidem per omnes aetates à Christiano populo Religiosissimè semper obseruatum fuisse, Maiorum res gestae loquuntur. Quum No- uatiani Carthagini grassarentur, scribit ad populum Carthaginensem diligenter B. Cyprianus eorum tum Episcopus, sed absens, ne vlla ratione ad Schismaticorum conuentus accedant. lib. i. Epist. 8. Quum passim in Oriente dominarentur Ariani & Euno-

Numer. 16.

Cypr. lib. 2.

Epist. 6.

Chrysost.

Hom. 11. in

4. ad Ephes.

Psal. 25.

Exempla veteris Christianorum.

Cypr. lib. 1.

Epist. 8.

Basilii E-
p̄st. 69.

& Eunomiani, scribit Basilius. In plurimis
ciuitatibus populum cum mulieribus & pueris
ipsisq; senibus ante portas effusam sub dio pre-
ces fundere solitos, omnes aëris iniurias magno
animo sustinere, nec ad hæreticorum oratoria
ingredi vlllo modo velle. Narrat de populo

Theodor. lib.
2. cap. 14.

Alexandrino Theodoretus, quòd pulso
Athanasio ipsorum Episcopo, conuenerint
in cæmiterio ad orationem, nec vllis minis vel
cruciatibus adduci potuerint, vt Georgio Aria-
no se coniungerent, vtcunque eos vexante
& excarnificante, ex mādato Imperatoris,
Sebastiano Duce. Nec minor fuit Antio-
chenorum Religio, qui deiecto Eustathio
Catholico Episcopo, sub Euphronio &

Lib. 1. cap.
32.

Phlacito Arrianis Pseudoepiscopis, ab Ec-
clesiastico conuentu semper abstinebant, vt idē
refert Theodor. Tantundem de Samosa-
tenis refert idem Theod. qui pulso Euse-
bio Cath. Episcopo, ad vnum omnes ab
Ecclesia abstinebant, & in illa solus ille
Pseudoepiscopus Eunomius agebat, nemo
aut in eius cōspectum venit, aut sermonē cū eo
cōtulit, et si alioqui vitā apud eos valde modeste
instituisset. Romanorū etiam par religio ab
eodem Theodoretō refertur. Pulso enim

Lib. 4. cap.
14.

Liberio,

Liberio, & suffecto in eis locū Felice, *nemo* Lib. 2. cap.
ex Romanis (ait Theod.) *in Ecclesiā dū ille in-* 17.

rus erat, ingredi voluit. Plena est his exēplis
 historia Ecclesiastica. Hæc populi Chri-
 stiani fides, hæc Religio, hoc officium bo-
 ni viri olim fuit quū hæresis inualesceret.

Præter hæc populi fidē, vide etiā doctissi-
 mos & sanctissimos viros eadē religione
 vsos fuisse. Origenes, quo nihil in prima æ-
 tate aut sanctius, aut doctius fuit, vnâ cum
 Paulo quodā Antiocheno Marcionita he-
 retico in eadē familia necessitate cōpulsus
 habitās, *nunquā tamē induci potuit, ut preci-*
bis vnâ cū illo interesset. Quod vt singulare Lib. 6. cap.

in eo pietatis documētū recēset Eusebi^o. 3^o

D. August. iā ex Manichæo Catholicus fa-
 ctus, & cōtra eos scriptur^o, præfatur secū il-
 lis mitissimè acturū, nihil durius aut acer-
 bius dicturū, deniq; eis quātū quidē liceat
 sese accommodaturū, *hac tamē, inquit, lege*
seruata, vt vobiscū nō orē, vt cōuenticula vobis
cū nō celebrē, vt Manichæi nomē nō accipiam.
 Cōtra epist.
 fundament^o
 cap. 3^o

Hęc ille. Hęc te catholicorū & Patrū, & po-
 pulorū exēpla doceāt, quisquis Catholic^o
 es, ne ad schismaticorū tēpla aut conuent^o
 oratiōis causa aliquādo accedas. Ratio autē

& in

*Causa, quare
cū Schismaticis orā-
dum nō est.*

& in Sacramentorum, & in orationū cum schismaticis communione vitanda vna & eadem est, Spiritus Dei indiuiduus cum vna & sola Catholica Ecclesia nexus. Nā & sine Spiritu Dei tanquam anima & vita operum omnium, nec Sacramenta, nec orationes, nec quicquam aliud fructum adferunt, aut Deo grata sunt: & in sola Ecclesia tanquam in templo & domo sua habitat hic Spiritus. Quod quidem totum quia sine longa demonstratione operosius explicari nō potest, hac breui notatione contentus, ad alia me conuertam. Nam hæc sanè duo non difficulter fortasse, verè Catholicus concesserit, cum schismaticis nec Sacramentorum, nec orationū communionem ineundam esse. At in alijs illis iam propositis parem esse Religionis & cautelę necessitatem, non ita facilè in animum induxerit suum. De illis ergo agamus, & officium pij viri quale etiam circa illa sit, breuiter ostendamus.

Tria verò adhuc sunt, de quibus meritò quæritur, an dominantibus Schismaticis, à Catholico & pio viro licitè & legitime fieri possint. Primùm, an eorum con-
ciones

cionones frequentare; secundò, an libros editos legere; tertio, an & quatenus cum illis conuersari liceat. Nam quod ad primum attinet, vulgo quidem & leuissimè id à plærisque fieri, qui tamen Catholici censeri volūt, cernimus. Etenim (vt externa taceam) quis nescit, in hoc Belgio, his postremis annis, ad pseudopredicantū voces passim excursum esse, & foris quidem extra mœnia repletos populis agros, domi desertas Ecclesias fuisse? Denique vix hoc pro crimine habitū fuisse, si ad noui alicuius predicatoris doctrinam audiendam, & à viris, & à feminis, & à pueris, & à senibus, & à populo, & à Clero curreretur? Quid vero? Hoc in epi & Catholici viri officiū putamus? Aut vlllo modo hoc Catholico licere arbitramur? Taceo hinc periculum præsentissimum, vt hausto illo dulci nouæ doctrinæ veneno, ex Catholico repente schismaticus fias. Quod & euidēti ratione facilè demonstrari posset, & ipsa rerum experiētia nimis clarū fecit. Omitto iniuriā quam facis matri tuæ, Ecclesiæ Dei, dum adulterā & pellicē eius tua præsentia honoras. Nihil dico de graui scādalo, qui pef-

L fimo

Hereticorū
conciones &
predicationes
nullo
modo esse a-
deundas, aut
audiendas.

1.

2

4

1. Cor. 8. *fimo hoc exemplo tuo percutis conscientias aliorum infirmas, & per te peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est: Dum videlicet alius putat id licitè fieri, quod à te Catholico*
 4 *viro publicè factum videt. Illud dico, illud urgeo, hoc dum facis, Christum Dominum, Principem Pastorum, unicum Magistram tuum, contemnis, abijcis, conculcas. Quid? An nunquam audiisti, aut si audiueris contempstisti, illud Christi gravissimum interdictum; Surgent pseudochristi & pseudopropheta, &c. Ecce prædixi vobis, Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire. Audistisne vocem Salvatoris? Non solum dicit, nolite credere, nec dicit. Ite quidem, audite audacter; sed, credere nolite: Verùm dicit, & prudentissimè dicit: Nolite exire. Nolite accedere, nolite appropinquare. Rursum*
 Matth. 24. *Ioan. 10. Oves mea vocem meam audiunt: alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. Non solum non sequuntur, non consentiunt, non applaudunt, sed & longissimè fugiunt. Non solum eorum dogmata & my-*

ta & myſteria ignorant, ſed nec vocem
audire ſuſtinent. Itaqué parum eſt, quòd
eorum verbis non credis: Ne audire qui-
dem eorum verba debebas. Hæc Chri-
ſti Domini, hæc olim Prophetarum vete-
rum, hæc poſtea Apoſtolorum vox erat.
Clamat Ieremias: *Nolite audire verba Pſeu-* Ierem. 23.
doprophetarum, qui prophetant vobis, & deci-
piunt vos. Iubet ne audire quidem. Sic ſa-
piens ille Salomon de fornicaria hæreſi
quæ aduerſatur ſapientiæ, ſcribens: *Lon-*
gè, inquit, fac ab ea vias tuas, & ne appro- Proverb. 5.
pinques foribus domus eius. Et quare? *Omnes*
qui ingrediuntur eam, non reuertentur, nec
apprehendent ſemitas vitæ. Nempe hæc eſt
illa ſpelunca latronum, de qua verè poſſis
dicere: *Vestigia cerno, omnia te aduerſum ſpe-*
ctantia, nulla retrorſum. Hæc eſt illa Circe,
hi Sirenum cantus, quos vt euites, præter-
navigare obturatis auribus debes. Hi ſunt
illi, de quibus Apoſtolus dicit: *Sermo eo-* 2. Tim. 3.
rum vt cancer ſerpit. Et iterum: *Rogo fra-*
tres, vt obſeruetis eos qui diſſenſiones & of-
fendicula faciunt præter doctrinam, quam vos Rom. 16.
didiciftis, & declinate ab illis. Declinare te
vult, non omnino accedere. Et quare?

L 2 huiusmo-

huiusmodi enim per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Ac rursus
 verò adhuc præcipit Ioan. Si quis, inquit, veniet ad vos, & hanc doctrinam non afferet, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Vides ratum abesse ut eum docentem audias, planè ut eum ne salutare quidem debeas. Et tu tamen Catholice, nequicquam prohibente Christo, frustra clamantibus Prophetis, incassum monentibus Apostolis, etiã ad horum hominum conciones, (blasphæmias dicerè) excurre, adstabis, audies? Quid? Aut durum tibi hoc præceptum, aut superuacaneum videtur esse cõsiliium? Si durum putas, dic amabo, quid facilius, quid leuius, hunc in modum tibi præceptum dari? Vade ad lupanaria, conuersare cum meretricibus, spectator formarum esto, concupisce audacter, sed concupiscentiã vices, nec animo, nec opere, nec verbo, nec facto, in malum cõsentias? an potius sic dicere: fornacè fuge, ad flammam non accesseris, concupiscentiæ ardores caue, occasiones deuita, ut castitatem conserues? Quis dubitat, hoc, quàm illud, & facilius obseruari, & cõmodius præcipi, & diuini

& diuinius custodiri? Nisi fortè prudētius sit per præcipitia, & lubrica, & deuia vagari, quàm in plano & regia via ambulare. Quod si in cautela vitæ & morum, iussit Saluator vt vitetur periurium, *non iurare omnino*; vt vitetur homicidium, *non irasci omnino*; vt vitentur adulteria, *non concupiscere omnino*; quibus verbis, *non noua adiecit præcepta, sed rationē qua tutius cōseruarentur vetera, aperuit*, vt docet Augustinus: quid miraris, si etiā in cautela fidei, vt hæreses vitentur, iubet Saluator ad hereticos *nō exire, alienorum voces fugere*, iubet Paulus eos *declinare*, iubet Ioā. *ne Aue quicquid eis diceret*

Matth. 5.

August.
contra fau-
stum lib. 19.
cap. 26.

Est sanè omnis hæresis & Ichisma quædam circa Religionem fornicatio. Vnde Apostolus hereticos vocat *adulterates verbū Dei*. De hoc autē peccati genere dicit Apostolus, *fugite fornicationem*. Reliqua vitia, vt odium, superbia, auaritia, vincuntur resistēdo, quia *quāto magis circa illa, particularia quis tractat atq; cōsiderat, tātō minus in eis inuenit vnde delectetur*. Ostēdit enim ratio, diuturna & diligēti habita cōsideratione, quàm vanè superbitur, quàm ineptè pecunia amatur, quàm temerè vindicta

2. Cor. 2. &

4.

1. Cor. 6.

S. Tho. in
com. ibidem.

Hæresis fugienda vt
fornicatio.

appetitur. At verò in luxuriæ vitio, quãto magis particulare obiectũ cogitatur, tãto magis acceditur. Vincitur autem fugiẽdo, & omnẽ de illis rebus cogitationẽ primo quoq; tẽpore deponendo. Nec aliter se in hæresi res habet. Excutienda vt vipera, fugiẽda vt pestis, abominãda vt certa perniciēs est, nullo modo expendẽda, tractãda, cõsideranda. Illã enim expendere (nisi docẽdi causa) est de fide dubitare, indeque in hæresis præcipitiũ derepẽtẽ prolabi. Non ergo durũ, sed & facillimũ, & saluberrimũ præceptũ est, *alienorũ voces ne audire quidẽ, sed fugere ab eis.* Si superuacaneũ hoc putas esse cõsilium, teq; satis fortẽ in fide ac robustũ putas, vt etsi eos audias, nihil tamen tibi inde periculi metuas, primũ illud I. Cor. 10. Apostoli memineris: *Qui se existimat stare, videat ne cadat,* Deinde, dic sodes: An tu fortior sancto illo Polycarpo Martyre, qui Irenæus lib. 3. cap. 3. Marcionẽ hæreticũ ne alloquio quidẽ dignatus est, vt refert Irenæus, & cõmemorat ex eo Eusebius lib. 3. cap. 13. moxq; addit. *Hac fuit Apostolorũ & Discipulorũ religio, vt neq; verbo tenus communicarent ijs, qui adulterãt veritatẽ.* Religio, inquit, & timor.

Tu ergo

Tu ergo illis aut religiosior, aut fortior?
Aut tu Ioanne prudentior, qui balneum
in quo Cerintus hereticus lauerat, ne ingre-
di quidem voluit, vt idem meminisse Irenæus
lib. 3. cap. 3. Quod Apostoli factum imi-
tati sunt. Samolateni. Catholici, qui, cum
ad balneum venissent in quo lauerat, Eu-
nomius hereticus, illa egresso, omnem aquam
de balneo per cuculos in cloacam emittunt,
& recentem parari iubent: vt refert Theo-
doretus lib. 4. cap. 14. Tu denique religio-
sior Antonio illo Eremita sanctiss. & E-
remitarum patre, cuius illa morientis ad
discipulos suos vox erat? Zelum meum contra he-
reticos omnes & veritatis hostes tenete; Scitis,
quia nihil unquam illis molliter aut pacifice lo-
quutus sum. Itaque venena eorum & colloquia
prorsus vitate. Hæc ille, vt in eius vita scri-
bit indubitatus Author Athanasius. Nec
dissimilis est S. Basilij ad suos quoque mo-
nachos admonitio. Congressus, inquit, illorum
subdolos & ad subuersionem audientium instru-
ctos declinetis. Moxq; huius rei tres causas
subiungit. Primam, vt dilectionem, inquit,
erga nos sinceram custodiat. Nemo enim
pastorem suum colere, & cum heretico

Theodor.
lib. 4. cap.
14. hist. ecc.
cles.

S. Antonij
preclara
vox.

Epist. 73.

Epist. 73.

libenter conuersari potest. Alteram, ut patrum fidem infractam & sanam seruetis: Tertiam, ut apud dominum tanquam probati veritatis amici deprehendami. Hæc ille. Postremò si Iudæi in omnibus Synagogis suis, & per singulos dies, sub nomine Nazarenorum anathematissent nomen Christianum, ut commemorat Hieronymus: quidni veri fideles sic hereticorum & nomen & voces exhorreant, & per singulos dies detestentur, ut ab eorum non dico conuentibus, sed & planè consortio omni non secus atque à serpentibus & viperis abstineant?

In commēt.

ad Esai. cap.

5.

Vide me huic parti paulò diutius immoratum fuisse, quàm nostræ clepsydriæ iam penè exhaustæ cursus patiatur. Sed illud commodi accessit, quòd hanc partem dum prolixius tractaui, cæteris quoque quæ supersunt, quodammodo satisfacisse videri possim. Quum enim non minus periculum sit in Hereticorum libris legēdis, quàm in eorum concionibus audien- dis, & exempla ac præcepta, quæ commemoraui, non doctrinas tantum, sed & ipsa in vniuersum commercia atque consortia ipsorum Archihæreticorū penitus declinan-

declinanda, atq; adeo fugienda docuerint: profectò quæ de horū hominum vel scriptis libris nullo modo legendis, vel commercio & societate fugiēda proximo iam loco dici debebant, ex his quæ iam dicta sunt, satis clarè colligi, & euidenter elucere possint. De utroq; tamen vno verbo quàm breuissimè aliquid submonebo.

Mouet enim sanè multum viros doctos & alioqui egregiè Catholicos, non licere ipsis maximè inter medios hæreticos agentibus, & eorum quotidie cōtra veritatem Catholicam blasphemias audiētibus, huiusmodi hominum scriptos de rebus controuersis libros legere, indeque argumentorum, quibus nituntur, vim atque momenta cognoscere, vt semel cognitis diligēter respondere atque satisfacere valeāt. Sic enim affecti nō solūm licitè, sed & laudabiliter ac piè se facturos arbitrantur, si pro zelo religionis quo flagrant, huiusmodi libros diligenter perlegant. Vt minimum, extra periculū schismatis plærique se esse existimant, qui id faciunt: siue quia grauitèr interdictum id esse à Sede Apostolica nesciunt; siue vt sciant, quia recta intentione

*Hereticorū
libros non
esse legendos*

tione id faciūt, ad ipsos huiusmodi inter-
 dictū nō pertingere arbitrātur. Sed grauis
 hic est, & periculosissim⁹ nos bonorū vitorū
 error. Cuius fundamētū illud esse videtur,
 quōd ipsius fidei vel addiscendæ, vel asse-
 rendæ, vel deniq; propugnandæ cuiusmodi
 tandem mediū, quæ ratio sit, aut ignorāt,
 aut non satis aduerterunt. Nempe (vt vno
 verbo rem totam explicem,) meminisse
 oīes debemus, oves nos esse ouilis seu
 gregis dominici, siue vulgares & agnos ex
 laicorum scilicet numero, siue huiusmodi
 quidē, quibus aliqua ratione alios pascere
 ex officio incumbit, quia pastores aut do-
 ctōres sumus, vni tamē summo Pastori &
 ποιμναρχῆ subiecti. Siue autem in pri-
 mo, siue in secundo ordine consistimus,
 oves sumus, & ab alio pascendi, non ipsi
 nobis pascua & pabula deligere pro arbi-
 trio possum⁹. Et primi quidem ordinis o-
 ves in tota ratione fidei hoc obseruare de-
 bent, vt à sola pasto-ū voce pendeāt illud
 Saluatoris diligentissimē recolentes, qui
 vos audit, me audit. & illud item Apostoli: Fi-
 des ex auditu. Quomodo autē audiens sine præ-
 dicante? & cætera quæ sequuntur. Qui se-
 cundi

Luc. 10.

Rom. 10.

eundi ordinis sunt, etiam in grauioribus
causis idem præstare debēt, memores sa- Luc. 22.
nè vni soli esse dictū: *Confirma fratres tuos:*
nempe ipsos Pastores & compresbyteros
in aliqua causa fidei fluctuantes, & dubios
corrobora. Hoc itaq; posito, quia oues su-
mus, audire vocem Pastoris debemus &
ab illo discere, non solum quid sit fidei,
quid nō, sed etiā quid ad fidē conseruandā
spectet quid nō; quale istud est, sintne hæ-
reticorum libri legendi, & quatenus. Hic
enim, quia agitur causa fidei, & in eius cō-
trouerſia cuiusq; nō est de causa cognos-
cere, aut partium querimonias & merita
causæ expēdere: relinquamus hoc Iudici
& eius sententiam expectemus.

Sed vir doctus est, & qui aduersarios
legendo, plurimum alijs prodesse possit.
Facile quidem responderem, *Melior est*
obedientia, quàm victima, nec propter o- 1. Reg. 16.
pus charitatis, deserenda Iustitia, iuxta il- Rom. 3.
lud Apostoli, *nō faciamus mala, vt proueniāt*
bona. Sed nolo sic cum docto viro rusticè
agere. Illud vrgeo: Ordinem in Ecclesia,
quo nihil est salubrius, perturbare nō de-
bes. Esto enim: fueris de illorum munero
qui si-

qui sine periculo tuo, vt tibi videtur, hoc prestare possis. Respondeo tibi, quod olim Honorato Manichæo respondit Augustinus. Videbatur enim ille sine duce, sine magistro, solis lectis Scripturis sacris, de vera Religione iudicare, & vi ingenij diuina secreta certa ratione capere facillimè posse. *Et si, inquit, factò tibi nihil nocebis, nocebis tamen exemplo cæteris.* Sed & præterea quotus quisq; est, qui de se non plus sentiat, quàm potest? Quàm sumus cæci nostrarum virium iudices & arbitri? *Itaq; ordo ille & ratio seruanda est, quæ sine cuiusq; periculo seruari potest. Quò quidè facile fit, si etiam hi qui volare possunt, ne cui sit periculo exemplum, paulisper cogantur incedere, quæ etiam cæteris tutum est. Hac est prudentia vera Religionis. Hoc iussum diuinitus: Hoc à beatis Maioribus traditum: Hoc ad nos vsq; seruatum: Hoc perturbare velle atq; peruertere, nihil est aliud, quàm ad veram Religionem sacrilegam viam querere. Quod qui faciunt, nec si eis concedatur quod voluit, possunt quò intendunt, peruenire. Cuiusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus asit, humili rep̄t. Tunc autem Deus adest, si societatis hu-*
manæ

De vtilit.
credendi
Cap. 10.

*mana in Deum tendentibus, cura sit, si nihil
singulare, nihil præter ordinem diuinitus
institutū facimus. Hæc Augustinus in au-
reo illo libello de vtilitate credendi. Cu-
ius consilio, quia summa ratione nititur,
& vniuersam tam ineundę, quàm asseren-
dæ fidei rationē complectitur, vt acquies-
cere, planè Christianum & catholicū est,
ita resistere & reluctari velle, specie schif-
matis carere non potest. At dicet aliquis,
multa sunt in hæreticorum libris eruditè
disputata, & quæ etiam ad Scripturarum
cognitionē egregiè conducant. Et habe-
mus hac in re clarissimorum virorum ex-
empla: D. Hieronymi, qui in epistola ad
Minerium & Alexandrum non facit hoc
tantum, sed & tueretur factum, sequutus il-
lud Apostoli: *Omnia probate, quod bonum est* ^{1. Theff. 5.}
tenete: Theophili Alexandrini apud So-
cratem lib. 6. c. 17. & Dionisij Alexandri-
ni quoque Episcopi apud Eusebium lib.
7. cap. 7. qui omnes hæreticorum libros
diligenter legerunt. Quare ergo saltem
doctis viris eorum lectio hodie non per-
mittitur, vt & hîc etiã liceat spoliare Æ-
gyptios, ad Ecclesię castra ditanda? Huic
doctorum*

Moral. lib.
5. cap. 11.

Epist. 93.
cap. 15.

In prescrip.

2. Petr. 2.

doctorum hominum hodie periculosa sanè & imprudēti querimoniam breuiter cū B. Gregorio respondeo. *Heretici miscent recta peruersis, ut ostendendo bona, auditores ad se trahant, & exhibendo mala, latenti eos peste corrūpant.* Hæc ille. Cum B. quoq; Leone magno eius nominis primo respondeo. *Quāuis sint in hæreticorū scriptis quædam quæ videntur eruditionis & pietatis speciem habere, nūquam tamē vacua sunt venenis.* Hæc ille. Quis ergo cū certo salutis periculo incertū oblectamentū querat? Deinde non ego existimauerim, hæreticorum labores ad verā Scripturarū cognitionē aliquid cōferre, sed potius cum Tertulliano dixerim, *Illic & scripturarū, & expositionum adulteratio deputanda est, ubi aduersitas inuenitur doctrina.* Hæc ille. Quis enim nescit, illorum hoc maximè interesse, ut ad falsæ doctrinæ suæ commendationē, Scripturas oēs illustret? Huc accedit, quòd quū Heretici omnes sint magistri mendaces, ut eos Apostolus Petrus rectissimè vocauit, ideoq; inter pauca vera innumera necessariò spargāt mēdacia, metuendū sanè maximè est, ne in fidē semel admissis, etiā in ijs quæ mētiuntur;

tiuntur, temerè & perniciosè credatur. Exempla verò producta nihil nostros iuant, nisi & se pares eruditione ac vocatione illis iudicent, & præterea eandè hodie Catholicorum Scriptorum penuriã esse ostendant quæ illorum tempore fuit. Est enim sanè præpostera illa diligētia, vel curiositas potius, quod domi locupletissimè habere potes in tanta Doctissimo- rum Catholicorum Scriptorum varietate, foris apud hostes & Apostatas, & (vt ait Hieronymus) *aurū in luto quarere*. Ne Epist. ad Iu- riam. dicam cum iniuria id Catholicæ Matris, aut potius Spiritus S. fieri, quasi illa tā sterilis & infæcunda doctorum virorum sit, vt eruditione pares cum hæreticis post tot seculorum curricula nondum protulerit. Etsi enim *filij huius seculi prudentio-* Lut. 105 *res sunt filijs lucis in generatione sua,* tamen in generatione nō sua, sed nostra non itē. Sed quia in singulis prolixos esse nō licet, ad alia pergo.

Superest postremò, de ipso hæreticorū consortio breuiter aliquid dicere. Qua in re vt media via incedas, nec externis periculis non necessarijs te exponas, nec si

De hereti-
corū con-
sorcio fugiēdo.

1. Cor. 5.

Cōtra Par-
men. lib. 3.
cap. 2.

nec fidem etiam tuam periclitari sinas,
hic modus tenendus est, vt in perturbato
quidem Ecclesiæ statu, qualem nunc fin-
gimus, dominantibus scilicet & omnes
ecclesias occupantibus hæreticis atque
schismaticis, cum promiscua quidem &
vulgari schismaticorum plebe vendere,
mercari, aliaq; commercia & ciuiles so-
cietates inire veritum non sit, quia neces-
sarium est; Quemadmodum enim, *cum e-
briosis, maledicis & rapacibus iam passim cō-
miscemur, & cibum cum eis sumimus, etiam
si fratres sint,* & vnius Ecclesiæ Catholicę
nobiscum membra, secus quàm Apосто-
lus precepisse videtur; quia huiusmodi ho-
minibus iam mundus plenus est, (vnde
hac de re Augustinus docet, quòd tunc
sanè *Apосто-
li preceptum nullo modo negligē-
dum est, quando sine periculo violanda pacis
fieri potest*) & qui horum commercia vita-
re vult, *de hoc mundo exeat oportet:* ita cum
schismaticis vulgaribus in simili schisma-
ticorum grassante turba, nisi de hoc mun-
do exire velimus, commercia istæ neces-
saria ineunda sunt. At verò quomodocū-
que grassante & dominante hæresi, cum
ipsis

ipsis schismatum Magistris, Authoribus,
Ducibus, aut quomodocunque ministris
atque fautoribus nulla ratione homini
Catholico communicandum est, ne qui-
dem in vita hac communi & societate ci-
uili. Nam de huiusmodi dixit Apostolus
Ioan. *Ne Aue ei dixeritis. Si quis, inquit, ve-* Epist. 2.
nit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, (vi-
de, de afferentibus & docentibus nouam
doctrinam loquitur) nolite recipere eum in
domum, ne Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi
Aue, comunicat operibus eius malignis. Ecce,
predixi vobis, vt in die Domini non confun-
damini. Hęc ille. De huiusmodi dixit Apo-
stolus Paulus, *observate eos qui dissensiones* Rom. 16.
faciunt præter doctrinam quam accepistis, &
declinate ab illis. Declinari, deuitari prorsus
iubet, Authores ipsos sectarum *qui faciunt*
dissensiones. Huiusmodi denique sunt lupi
illi, de quibus cauendis vniuersis fidelibus
dedit Saluator mandatum, dicens discipu-
lis suis ac turbis: *Attendite vobis à falsis Pro-*
phetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, Matth. 7.
sub prætextu ministrorum verbi Dei, intus
autem sunt lupi rapaces, vt abducant discipulos Act. 20.
post se. Huiusmodi sunt latrones illi, qui nõ
M veniunt

Ioan. 10. *veniunt nisi ut mactent & perdant, quos fugiendos docet Saluator, id est, ut ad illos nullo modo accedas. Quem verò hæc Saluatoris & Apostolica luculenta præcepta nō movēt, ut planè sibi persuadeat, à mēdaciū Magistrorū & Pseudoprophetarū cōsortio abstinendū esse, nō ille meis verbis aut rationibus quibuscūq; quæ adhuc afferri possent, quicquā movebitur.*

Epilogus.

Qui autē vlla se vel ratione, vel auctoritate moveri sinet, is sanè his rectè perpētis & intellectis quæ iam diximus, id sibi in posterū persuasissimum habebit, boni & Catholici viri officiū hoc esse, grāsate semel & obtinēte hæresi, primū quidē vni & soli Catholicæ Ecclesiæ animo & voluntate firmissimè & cōstātissimè adherere: deinde fidē, quā animo tenet, eatenus sanè publicè profiteri ac præ se ferre, ut nec à schismaticis Sacramenta percipiat, nec unā cum ipsis oret, nec eorū cōciones vlla ratione adeat, nec huiusmodi hominū libros, nisi accepta potestate legat, nec deniq; cū sectæ magistris vllā vitæ societate, quātum fieri potest, ineat. Hæc qui præstiterit, verè ille & re, & nomine, Catholicus erit.

eus erit. Horū vnum qui prætermiserit, à schismatis piaculo tut^o nō erit. Hæc autē si difficilia videtur, cogitandū est, pro fide qua viuimus & stamus omnia etiā extrema subeunda esse, & hanc esse illā *pretiosam margaritā, pro qua inuēta vacat homo* & *Matth. 13.*
vēdit omnia quæ habet & enit eam, & hunc deniq; esse casū (cessante Ethnicorū persecutione, in quorū locū hèresum authores sicut in ipsarū hèresum locū idola successerunt) in quo illud Saluatoris locū habet. *Si quis venit ad me, & nō odit patrē suū,* *Luc. 14.*
& matrē, & uxore, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autē & animā suā, nō potest meus esse discipulus. Hæc enim oīa cū ipsa patria, beneficijs, patrimonijs, bonis atq; fortunis omnib⁹ abijciēda pot^o sunt, & pro stercore conculcāda, quā vt propter ea retinēda, inualescēre semel hæresi, vel latū vnguē à fide Catholica, quæ vnica est & simplicissima, auelli nos & abduci patiamur. Hic enim illa Ieremiæ vox semper auribus nostris intonare debet: *Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisq; animam suā. Nolite tacere super iniquitatē eius.* Illud quoq; Sapiētis: *Qui amat periculū, peribit in illo.* Et qui *Ecc. 3.*

M 2 tangit

tangit picem, inquinabitur ab ea. Postremò
Eccl. 13. illa Augustini saluberrima & verissima
 sententia semper in memoria habēda est:
Tract. 27. *Nihil sic debet formidare Christianus, quàm*
n. Ioan. *separari à corpore Christi quod est Ecclesia. S̄*
enim separatur à corpore Christi, non est mem-
brum eius. Si non est membrum eius, non vege-
tatur spiritu eius. Quisquis autem (ait Apo-
stolus) Spiritum Christi non habet, hic non est
Christianus. Hæc ille. Sic comparatos nos
 esse oportet, chariss. filij, oborta semel hîc
 (quod absit) illa tempestate quæ vicinos
 vndique deuastauit: hac armatura præmu-
 niri necesse est, *ut possimus resistere in die*
Ephes. 6. *malo, & in omnibus perfecti stare.* Quæ si im-
 portunius in hac lætitia vestra, imò omniū
 nostra, suggesti, excusabit me ille sapiens
Eccl. 11. *qui iubet nos, esse memores malorum in*
die bonorum. Si malus ominator vi-
 dear, excusabit me sanctus ille
Iob. 1. *Iob, qui in diebus conui-*
uij sanctificauit filios
suos, offerens holo-
causta per sin-
gulos.

APOLOGIA RE- CENTIORIS ECCLESIAE:

SIVE

*Contra Præscriptionem Protestantum, quæ
veteris tantum Ecclesiæ testimonia
in dirimendis controuersijs
admittunt, postero-
ris reijciunt.*

ORATIO IN LICENTIAE THEO-
logica laurea suscepta, habita.



Vo n semper optaueram, Am-
plissimi, & Ornatissimi viri, do-
ctissimi & humanissimi Audi-
tores, vt quod Theologum &
Ecclesiæ filium decet, Theologorum re-
centiorum causam agere, & Ecclesiæ ho-
stes publicè traducere, oportuno aliquo
loco ac tempore concederetur: ad illud
nunc hodiernus is dies, ad illud frequens
hic vester confessus, ad illud ordo hic no-
bilibium & doctorum virorū amplissimus,
volētem inuitat, ac prouocat, conaturum
iam diu excitat, & currēti calcar apponit.
Quum enim ex hoc loco aliquid agere

M 3

Theolo-

Theologo dignum, hic locus iubeat, hoc tēpus exigat, iucundissimus hic cōspectus vester admoneat: nihil profectò huic vel loco aptius, vel tempori accommodatius, vel tantę nobilissimorū & doctissimorum virorū alsidēti coronæ gratius ac oportunius, posse me dicere existimaui, quam vt Theologiæ candidatus Theologorū causam coagerem, & Catholicæ filius, Catholicæ patrocinium suscipere. Neq; enim nescij estis, in ea nos tempora hodie incidisse, quę vt in totam Ecclesiam, ita præcipuè in Theologorum nomē ac caput hostiliter conspirarunt: quæ vt totius Ecclesiæ, ita præcipuè Scholæ Theologicæ auctoritatem ac fundamenta conuellunt.

Quas sanè nefarias & sceleratas improbissimorum hominū cogitationes vt Satanus promoueret, ac effectui aliquando daret, infinitas in hūc ordinem calumnias congescit, cōuitijs & opprobrijs inauditis Theologorū Principes cōspersit, ac apud rudes & indoctos traduxit: nulli cōtumelię, nulli mēdacio, nulli blasphemię parcēs, vt hanc aliquādo grauissimorum virorum saluberrimā auctoritatem conuelleret, &

senes,

senes, vt aiūt, è pōte deturbaret. Sed inter
cæteras, quæ sanè & dictu nefandæ, & nu-
mero penè infinitæ sunt, nulla profectò
fèdior, nulla grauior, nulla perniciosior cõ-
tumelia, calumnia, blasphemia excogitata
& in mediū prolata ab illis Satanæ mini-
stris est, quàm ea vna, qua totum recētio-
rum Theologorū ac Patrū venerandū Se-
natū è subsellijs detrahere, totā postero-
rū horū tēporum diuturnā seriē perfidiæ
damnare, totos denique hos mille annos
Christiana fide penitus exuere, vna impu-
dētissima Pręscriptione, & effiōti audacia,
sunt ausi. Sic enim (vt vno verbo infinitā
eotū insaniā cõplectar) pręscribūt hodie,
cõtra Ecclesiā, cõtra Scholas, cõtra Theo-
logos & Scriptores ecclesiasticos, infausti
huius ætatis hæretici, vt dicant, hos totos
mille annos, in tenebris plusquàm Cym-
merijs volutatos, ac fēdis superstitionibus
penit̄ immerfos, Christianæ professionis
nomē tātum obtinuisse, fide caruisse, oēs
qui eo toto tēpore scripserūt, docuerunt,
floruerūt, seu scholasticos, seu quoscunq;
alios Scriptores ac magistros Catholicos,
cēcos Duces fuisse proindeq; in discutiēdis

M 4

quæ ho-

quę hodie vigent innumeris illis contro-
 uersijs, solos illos primę Ecclesię Patres,
 solos primorum quatuor, vel quinque, vel
 ad summum sex centenariorū Scriptores
 esse audiēdos. Qui autē ea tēpora sequun-
 tur, seu sanctus ille Gregorius, seu Beatus
 Bernardus, seu Venerabilis Beda, seu quis-
 quam alius fuerit, eos omnes tanquam in-
 fames homines & iam falsitatis cōuictos,
 à publico veritatis testimonio, esse repel-
 lēdos. Hęc iniquissimā impudentissimorū
 hominū & superbissimā Pręscriptionē cō-
 uellere, simulq; Recētioris huius ætatis fi-
 dē, Patrū & Theologorū autoritatē tue-
 ri, hoc ego tempore, hac oratione nostra,
 donāte Deo, institui. Neq; enim vel huic
 loco, vel his rēporibus, vel auditorū horū
 grauitati ac prudētię accommodatius aut
 grati⁹ me quicquā posse dicere existimaui.

Partitio.

Hanc autē Recētioris huius Ecclesię
 Apologiā sic instituā, hanc arrogantissime
 hæreticorū Pręscriptionis proiectā auda-
 ciā sic retundā, vt primūm quidē quā sit
 ea iniqua, & ab omni penitus ratione alie-
 na, duabus potissimūm de causis ostendā.
 Secūdo loco, quāta cū blasphemia sit ea-
 dem con-

dem coniuncta, dilucidè demonstrè. Hæc duo capita, dum pro huius quidè temporis ratione breuiter, pro rei autè dignitate, quàm possum grauiter & solidè pertracto, diligèter quæso, quod facitis, atredite.

Ab initio statim infaustæ huius & nefandæ hæresis, quæ sua nunc immani colluue & tetra seditate totum penè Christianum orbem (proh dolor) conspurcavit, non defuerunt viri docti & Theologi eruditi, qui cum ipsis infandæ huius sectæ magistris cõsertis quasi manibus dimicauerunt, & pro fide Catholica strenuè concertauerunt. Illos insignes & præclaros viros hinc recensere, non est opus. Ipsi beata iam sunt in pace, & viuunt nomina eorum in æternum. In hac autè cõcertatione præter ipsas sacrosanctas Scripturas, Conciliorum, Synodorum, sanctorum Patrum ac doctissimorum Ecclesie luminum, sacrosancta Decreta, solidæ rationes, clarissima testimonia, à nostris in medium proferebantur. Horum quum se & multitudine obrui, & authoritatis pondere prosterni videret Lutherus, Melanchtho, Calvinus & cetera illa sceleratorum hominum turba, eorum maximè qui his iam postremis cetenarijs in summa

fidei pace libere, clarè & dilucidè de rebus omnib⁹ scripserūt, nec illa in suas partes aliquo modo trahere se posse cernerēt: omni statim deposito pudore, omni exuta boni viri facie, impudētissimè clamare cœperūt, hos postremos Cētenarios, non fidei Christianę, sed superstitiōis cuiusdā Papiſticę tēpus fuisse. Ad primā Ecclesiā, ad antiquiores Patres appellāt. Illā esse solā putā, purā, & illibatā fidē, quā primi post Apostolos magistri tradiderūt, quęq; ex primorū tantū Cētenariorū monimētis erui posset, inuidiosè clamitāt. Hinc factū est, ut Luther⁹ quidē in captiuitate Babylonica, Calvin⁹ in Epist. ad Sadolerū, & in Prophetas passim, Melāchthō in locis cōmunib⁹ posterius editis, & Andreas Smidelinus in Respōsione ad Apologiā Frederici Staphili, primos tantū 500. post Christū annos Ecclesię Christi concedāt, reliquos mille annos nō Christi, sed Antichristi esse clamitātes. Hinc porrō fit, ut posteriorū Patrū scripta sanè oīa & singula, ac toti⁹ hui⁹ tēporis testimoniū, inaudito quodā fastu ac supercilio, non ut Aristarchi cēsoria aliqua virgula notēt ac corrigāt, sed ut noui quidam

Statua.

quidā Cæsares penit' abrogēt, & toto orbe Romano exulare iubeāt. Hinc deniq; Pręscribūt nobis pro suo imperio, in cōtrouersijs de Religione tractādis, seu ad praxi illæ, seu ad doctrinā spectēt, nō nisi ex primis illis annorū Cētenarijs petēda testimonia, depromēda exēpla, adhibēda causæ patrocinia. Ac nos quidē sanè antiquissimorū Patrū Venerādis vestigijs ita cupidè inhærem', & purioris illius Ecclesiæ (vt loquuntur) testimonia tāta auiditate inquirim', vt ex illis penè solis nostrorū de rebus hodie cōtrouersis libri cōsistāt, illis pene solis innitātur. Quod sanè adeo cōfidēter faciunt & fecerunt semper Catholici Scriptores, vt nemo adhuc (quod scia) Catholic' cōtra hāc iniustissimā aduersariorū Pręscriptionē vel verbū scripserit. Id quod ex optimæ suæ causæ magna cōfidētia faciūt, nō quia Pręscriptionē tā superbā probēt, aut vlla ratione ferendā putēt. Nam ita antiquiorū seculorū testimonia perquirere, vt posteriora impietatis & cęcitatis damnemus, vel illis nos solis astringi debere putemus, illud verò & impiū est & iniquissimū. Quod vt nunc probemus, iniquitatē
huius

huius nefariæ Præscriptionis primo loco (vt antea proposuimus) ostēdemus. Eā verò duob' nos modis probaturos dixeram'.

1. Primū ergo, iniquam esse hanc Præscriptionem dicimus, propter paucitatē
2. Scriptorum, qui ex primis illis Centenarijs nobis iam supersunt. Deinde propter modum ipsum, quem in scribendo illi primi Patres tenuerunt. Hoc vtrumq; quum
3. breuiter ostendero, ad impietatem huius nefariæ Præscriptionis explicandam, nostra se conuertet oratio. Paucitatem ergo primæ Ecclesiæ Scriptorum (quæ primi capitis prima probatio instituta fuit) multis argumentis colligimus. Nam vt de ipsis Euangelijs & Epistolis Apostolicis nihil dicamus quæ omnia data potius occasione, quàm dedita opera scripta fuisse, & antiquissimi Historiographi notarunt, & ipsa legentibus argumenta ostendunt, eorum sanè proximos successores *scribendi minimam habuisse rationem, nec tam edendis libris, quàm erudiēdis populis operam dedisse,* scribit apertè Eusebi' Pamphili in Historia Ecclesiastica. Et sanè qui attentius totam illam vetustissimorum Scriptorum Biblio-

Paucitas
scriptorum
prima eccle-
sia.

Lib. 3. cap.
24.

Bibliothecam euoluit, reperiet illam ferè omnem aut in hæreticis & gētilibus confutandis, aut in Epistolis & Apologijs occasione aliqua data scribendis consistere. Hinc Irenæi, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Iustini Martyris, Ignatij & aliorum scripta. Pauci enim, aut nulli eo tēpore (primis dico centum aut ducentis annis) vel Scripturas relictis commentarijs illustrarunt, vel Homilias suas ad populum scripto reliquerunt, vnde certior Sacramentorum & doctrinæ hodie controuersę ratio hauriri possit. Postea quidē hæc cæpta fieri, sed perpetua quasi illorum temporum vel à gentibus vsque ad annum trecentesium & amplius, vel ab hæreticis vsque ad annum ferè quingētesimum persecutio, ita partim scribēdi hoc studium perturbauit, partim quæ scripta erant, è medio sustulit, alia quoque infortunia totas nobis toties Bibliothecas eripuerunt, vt rarissimos iam horum temporū Scriptores necessariò habeamus. Huius rei locupletissimi testes esse possunt eorum libri, qui de Scriptõribus ecclesiasticis scripserunt. Qui enim Eusebiũ, Hieronymum,

ronymū, Cassiodorum, Gennadiū, Trime-
miū, Honoriū, aliosq; legerit, & quot iam
Scriptores etiā ab illis enumerati perie-
rint, animaduertit, nō sine lachrimis, o-
pinor, videbit, quanta iā veterum Scripto-
rū penuria laboremus. Causas verò penu-
riæ istius varias & multiplices inuenio.

*Cause iac-
ture veterū
Scriptorum.*

*Vide Augu-
lib. contra
fulgentium
Donatista
Num. 12.
& lib. 7.
cap. 2. de ba-
ptist. cont.
Donat.*

In trecentis illis primis post Christum
annis, Antequā Imperatore Constantino
Christianam fidem amplectente pax Ec-
clesiæ redderetur, persecutiones illę à pri-
oribus imperatoribus contra Ecclesiā ex-
citatae, nō minus librorū erant, quā homi-
nū, nō min⁹ codicū, quā corporū. Vnde
apud Christianos nō tantū qui fidē ab-
negabant sed & qui libros & scripta sacra
persecutorib⁹ tradebāt, Apostatę habe-
bāt. Hinc illa nominatissima Cęciliani Ca-
thaginensis Episcopi (vnde & donatista iū
schisma ac postea hæresis emerfit) accusa-
tio agebatur, quòd in persecutione Dio-
cletiani libros sacros tradidisse diceretur:
ex quo factū est, vt Catholicos tūc Cęci-
liano cōmunicātes Donatistæ traditores
appellarēt. Porro in grauiſſima illa decem
annorū persecutione sub Diocletiano &
Maximi-

Maximiliano Imperatoribus, sacri libri, & Patrū enarrationes (vt notauit Nicephor^{us}) in foro cōburebātur. Quantā hīc optimorum Authorū iacturā factā esse putare possum^{us}? Licini^{us} ille Tyrānus vnā cū Cōstantino Magno aliquandiu imperans, ita præclarā huic rei nauabat operam, vt *literarum hostis* ab Historicis vocaretur, & in Olorio. At vero Iulianus Apostata omni prorsus literarū studio Christianis interdixit. Valēte quoq; Imperatore crudelissimas de successore suo agitante quæstiones, omniaq; omniū scripta & scrinia perscrutante factū est (vt notauit Ammianus Marcellinus) *vt per orientales provincias omnes metu similium exurerent libraria omnia* Tantus vniuersos inuaserat terror. Neq; verò sub his tantūm Imperatoribus crudelitate & terrore omnia permiscentibus perierūt nobis Authores boni & antiquissimi illi primorum tēporum Scriptores. Hīc enim si conquieuisset hoc malum, posterorum saltem industria resarciri illud potuisset. Verū accessit his malis, immanis illa Barbarorum turba, Vandalorū, Hunnorū, Gothorū, Herulorum & his

Lib. 7.
Cap. 30.

Histor. tripart. lib. 1.
cap. 9. lib. 7.
cap. 28.

Tripart.
Hist. lib. 6.
cap. 17.

Lib. 29. Historiarum.

& his similibus in Romanum Imperium, Africam, Hispaniam, Galliam, Italiam, totumq; etiam Orientem circa quadringentos post Salvatorem annos irruentiū, omniaque vastatium, sacraque ac profana miscentium. Notavit hoc circa hæc tempora Sabellicus cum diceret, *ob multorum populorum incursiones, optimorum Aucthorum destructiones esse consecutas.* Huius quoque rei argumentum ex Augustino colligi potest, sub cuius mortem prima illa Vandalorum irruptio in Romanū Imperium incidit. Scribit enim alicubi, *per paucos fuisse suo tēpore in lingua Latina Scriptores. In Greca autem, inquit, quis numeret?*

Opera Augustini lib. 3. cap. 2.

At verò hodie ex vetustissimis illis primorū temporū Scriptoribus qui Augustinum præcesserunt longè plures habemus Latinos, quàm Græcos. Ex quo constat, magnam post eum vastationem consecutam. Porrò in Concilio Carthaginensi tertio, cui interfuit Augustinus, citatur *Capuensis quadam plenaria Synodus.* Huiusmodi nunc extat nulla. Citatur etiam sæpissimè ab Augustino contra Donatistas disputante, *plenarium totius Orbis Conciliū*

Can. 38.

pro Bap.

pro Baptismo Hæreticorum non iterãdo. Quo etiam utitur tanquam antidoto fortissima contra Concilia illa Africana, quibus tantopere Donatistæ innitebantur. Huiusmodi tamen Concilium hodie non reperitur. Nam quòd quidam hodie docti viri illud ab Augustino toties commemoratum, Nicenum illud magnum & primum esse putant, mihi nullo modo fit verisimile. Est enim plus quàm probabile si Nicenum illud fuisset quòd vel semel illud in creberrima illa menciónē facta Augustinus nominasset: tum propter illius Concilij Authoritatem maximam, tum propter controuersię quam tractabat magnitudinem. Sane in re multo minoris momenti illud Concilium nominatim citat. Deinde tale videtur hoc Concilium fuisse quod ob hanc potissimum quæstionem de baptismo hæreticorum vocaretur. Niceni verò Concilij causas ex proposito commemorans & commendans Arhanasius in Epistola de Synodis Arimini & Seleucię, de hac re prorsus tacet. Rursum tale erat hoc Concilium quod alijs varijs Synodis & in Africa, & in Asia hac de re col-

De bap.
par lib. 1.
cap. 18. &
lib. 4. cap. 6.
lib. 6. cap. 7.
& 13.

Epist. 110.
alijsq; in lo-
cū.

N lectis

lectis satisfaceret, easque ita corrigeret, ut
 Episcopi ipsi tam Africani quam Ori-
 entales qui cum Cypriano contrarium de-
 creuerant, sententias suas hac de re postea
 mutarent. Nam ita hoc factum fuisse illu-
 stres testes sunt S. Augustinus contra Cre-
 sconium Donatistam lib. 3. cap. 2. & pau-
 lo ante eum Hieronymus, qui eosdem ipsos
 Episcopos nouum emisisse decretum narrat.
 Quod certè tam cito & tam solenniter fa-
 ctum non fuisset sine Concilij magis vni-
 uersalis ipsis adhuc viventibus congregati
 Authoritate. Quod si ita est, Nicenum
 multis annis præcesserit necesse est. Nam
 quòd D. Hieron. scribit loco citato Nice-
 nam Synodum omnes hæreticos suscipe-
 re exceptis Paulianistis, est quidem ita ut
 in Can. 19. illius Synodi illos solos rebap-
 tizandos censeat: sed non propterea illud
 fuisse Concilium de quo toties Aug. lo-
 quitur, inde colligitur, quòd in eo Can. de
 tota hac quæstione nihil directè conclu-
 ditur nec euidenter asseritur: quod tamen
 in illo Concilio toties ab Augustino cita-
 to euidentissimè & plenissimè factum fuis-
 se, ex illa tam frequenti & confidenti eius
 citatione

In Dialogo
 aduersus
 Luciferia-
 nos.

citatione facile constat. Quare excidit nobis haud dubiè Concilium illud longè grauissimū atque plenarium. Quid quod multis ante Augustinum annis in Synodo secunda Arelati habita allegatur *generale Concilium sub Beati Martini* vel (vt alij legunt) *Maurini tempore ex omnibus mundi* Can. 18. *partibus in eadem vrbe Arelatensi celebratum?* Sed eius hodie ne vestigium quidem apparet. Ex quibus omnibus perspicuum fit, posterioribus haud dubiè persecutionibus, grauissima hæc primæ Ecclesiæ monimenta erepta nobis esse.

Neque verò ab externo solùm hoste passa hæc est Ecclesia, aut ab infideli tantum & Barbaro, sed & à Domesticis quoque, quos enutriuerat vt filios, sed ipsi spreuerunt eam. Nam & heretici quoque Catholicorum libros & scripta crudelissimè, si quando fortiores eos esse contigerat, depopulabantur. Ariani Bibliothecam Alexandrinam optimis & antiquissimis Authoribus instructissimam penitus incenderunt. Cuius rei locupletissimus testis est Athanasius ille Magnus, reliquique Ægypti Episcopi, dum Marco Rom.

In Epist.
ad Marcum
Papam.

Cōtra Gau-
dentiū lib.
2. cap. 14.

Pōntifici pro exemplaribus Niceni Concilij
eo quoque tēpore, incendio absumptis scri-
bunt, simulque Arianorum tyrannidem in
Episcoporum libris concremandis ostendūt.
Pestis ista Arianica quantò diutius ac po-
tentiùs Orbem Christianum occupavit,
tantò ab ea grauiùs ac vehementiùs hoc
in genere peccatum fuisse, verisimile est.
Sed & Donatistæ patrum suorum hære-
ticorum mensuram implentes, si Augu-
stino credimus, Catholicorum libros incen-
derunt. Atq; hæc quidem omnia in prima
illa Ecclesia, & intra quadringentorum
plus minus annorum ambitum contige-
runt. Iam verò si posteriorum persecutio-
nū & vastationū Historiā vsq; ad annum
Domini sexcentestimū texere vellem⁹, &
quas toti Italię ferè ducētis annis Longo-
bardi clades intulerunt perstringere, im-
mane quantus dicendi campus, in quo
excurrere posset oratio, daretur. Ego
verò ex paucis his exemplis liquidò iam
vobis constare arbitror, quanta necessa-
riò ex his, quæ diximus, Scriptorum anti-
quissimorum paucitas consequatur. Quæ
cū ita sint, quàm inhumaniter & iniquè,
ne dicam

ne dicam temerè & impudenter, illi agāt, qui grauissima fidei nostrę Myſteria, adeo-
q; ſingulos ritus ac cęremonias non aliter agnolcunt, niſi ex hac incertiffima Anti-
quorum Scriptorum paucitate, certa il-
lis & manifeſta omnia, idq; abundanter &
copioſè reddantur, veſtro iam omnium
iudicio perpendendum relinquo.

Venio nunc ad primi capituli ſecundam
cauſam. Iniquiffimam enim eſſe hanc he-
reticorum de primis illis quingentis aut
ſexcentis annis Preſcriptionem dicimus,
non ſolum propter Scriptorum illius tē-
poris, qui quidem hodie ſuperſunt, pauci-
tatem, ſed multò magis propter modum
ipſum ſcribēdi quē illi antiquiſſimi Patres
& Scriptores tenuerunt. Nempe, ſicuti
Apoſtoli ipſi (vt diligēter notauit Eufe-
bius Pamphili in demōſtratione ſua Euā-
gelica) *quęcunq; à Chriſto quaſi ſapientiori-
bus & magis ſpiritualibus præcepta fuerāt, illa
ijs tantum, quos capaces eorū eſſe intellexerāt,
ſine ſcripto tradiderunt, quę verò infirmiori-
bus & vulgo fidelium conuenire exiſtimabāt,
eorum quedam quidem in ſcripto reliquerunt,
quedam verò per ſanctiōnes & ritus non ſcri-*

*Myſteria ſe-
dei parçē
& obſcu-
rē in prima
eccleſia ſcri-
bi ſolita.*

*Lib. 1.
Cap. 6.*

Cap. 27.

- f. 100 r. 10
 - f. 100 v. 10
 - f. 101 r. 10
 - f. 101 v. 10
 - f. 102 r. 10
 - f. 102 v. 10
 - f. 103 r. 10
 - f. 103 v. 10
 - f. 104 r. 10
 - f. 104 v. 10
 - f. 105 r. 10
 - f. 105 v. 10
 - f. 106 r. 10
 - f. 106 v. 10
 - f. 107 r. 10
 - f. 107 v. 10
 - f. 108 r. 10
 - f. 108 v. 10
 - f. 109 r. 10
 - f. 109 v. 10
 - f. 110 r. 10
 - f. 110 v. 10
 - f. 111 r. 10
 - f. 111 v. 10
 - f. 112 r. 10
 - f. 112 v. 10
 - f. 113 r. 10
 - f. 113 v. 10
 - f. 114 r. 10
 - f. 114 v. 10
 - f. 115 r. 10
 - f. 115 v. 10
 - f. 116 r. 10
 - f. 116 v. 10
 - f. 117 r. 10
 - f. 117 v. 10
 - f. 118 r. 10
 - f. 118 v. 10
 - f. 119 r. 10
 - f. 119 v. 10
 - f. 120 r. 10
 - f. 120 v. 10
 - f. 121 r. 10
 - f. 121 v. 10
 - f. 122 r. 10
 - f. 122 v. 10
 - f. 123 r. 10
 - f. 123 v. 10
 - f. 124 r. 10
 - f. 124 v. 10
 - f. 125 r. 10
 - f. 125 v. 10
 - f. 126 r. 10
 - f. 126 v. 10
 - f. 127 r. 10
 - f. 127 v. 10
 - f. 128 r. 10
 - f. 128 v. 10
 - f. 129 r. 10
 - f. 129 v. 10
 - f. 130 r. 10
 - f. 130 v. 10
 - f. 131 r. 10
 - f. 131 v. 10
 - f. 132 r. 10
 - f. 132 v. 10
 - f. 133 r. 10
 - f. 133 v. 10
 - f. 134 r. 10
 - f. 134 v. 10
 - f. 135 r. 10
 - f. 135 v. 10
 - f. 136 r. 10
 - f. 136 v. 10
 - f. 137 r. 10
 - f. 137 v. 10
 - f. 138 r. 10
 - f. 138 v. 10
 - f. 139 r. 10
 - f. 139 v. 10
 - f. 140 r. 10
 - f. 140 v. 10
 - f. 141 r. 10
 - f. 141 v. 10
 - f. 142 r. 10
 - f. 142 v. 10
 - f. 143 r. 10
 - f. 143 v. 10
 - f. 144 r. 10
 - f. 144 v. 10
 - f. 145 r. 10
 - f. 145 v. 10
 - f. 146 r. 10
 - f. 146 v. 10
 - f. 147 r. 10
 - f. 147 v. 10
 - f. 148 r. 10
 - f. 148 v. 10
 - f. 149 r. 10
 - f. 149 v. 10
 - f. 150 r. 10
 - f. 150 v. 10
 - f. 151 r. 10
 - f. 151 v. 10
 - f. 152 r. 10
 - f. 152 v. 10
 - f. 153 r. 10
 - f. 153 v. 10
 - f. 154 r. 10
 - f. 154 v. 10
 - f. 155 r. 10
 - f. 155 v. 10
 - f. 156 r. 10
 - f. 156 v. 10
 - f. 157 r. 10
 - f. 157 v. 10
 - f. 158 r. 10
 - f. 158 v. 10
 - f. 159 r. 10
 - f. 159 v. 10
 - f. 160 r. 10
 - f. 160 v. 10
 - f. 161 r. 10
 - f. 161 v. 10
 - f. 162 r. 10
 - f. 162 v. 10
 - f. 163 r. 10
 - f. 163 v. 10
 - f. 164 r. 10
 - f. 164 v. 10
 - f. 165 r. 10
 - f. 165 v. 10
 - f. 166 r. 10
 - f. 166 v. 10
 - f. 167 r. 10
 - f. 167 v. 10
 - f. 168 r. 10
 - f. 168 v. 10
 - f. 169 r. 10
 - f. 169 v. 10
 - f. 170 r. 10
 - f. 170 v. 10
 - f. 171 r. 10
 - f. 171 v. 10
 - f. 172 r. 10
 - f. 172 v. 10
 - f. 173 r. 10
 - f. 173 v. 10
 - f. 174 r. 10
 - f. 174 v. 10
 - f. 175 r. 10
 - f. 175 v. 10
 - f. 176 r. 10
 - f. 176 v. 10
 - f. 177 r. 10
 - f. 177 v. 10
 - f. 178 r. 10
 - f. 178 v. 10
 - f. 179 r. 10
 - f. 179 v. 10
 - f. 180 r. 10
 - f. 180 v. 10
 - f. 181 r. 10
 - f. 181 v. 10
 - f. 182 r. 10
 - f. 182 v. 10
 - f. 183 r. 10
 - f. 183 v. 10
 - f. 184 r. 10
 - f. 184 v. 10
 - f. 185 r. 10
 - f. 185 v. 10
 - f. 186 r. 10
 - f. 186 v. 10
 - f. 187 r. 10
 - f. 187 v. 10
 - f. 188 r. 10
 - f. 188 v. 10
 - f. 189 r. 10
 - f. 189 v. 10
 - f. 190 r. 10
 - f. 190 v. 10
 - f. 191 r. 10
 - f. 191 v. 10
 - f. 192 r. 10
 - f. 192 v. 10
 - f. 193 r. 10
 - f. 193 v. 10
 - f. 194 r. 10
 - f. 194 v. 10
 - f. 195 r. 10
 - f. 195 v. 10
 - f. 196 r. 10
 - f. 196 v. 10
 - f. 197 r. 10
 - f. 197 v. 10
 - f. 198 r. 10
 - f. 198 v. 10
 - f. 199 r. 10
 - f. 199 v. 10
 - f. 200 r. 10
 - f. 200 v. 10

pros obseruanda tradiderunt: ad eundem pla-
 nè modū & primæ Ecclesiæ Patres, quot-
 quot sexcentis illis primis annis florue-
 runt, Apostolorum vestigia & exempla
 secuti, fecerunt. Notauit hoc in illis diler-
 tē Basilius Magnus, moremque ac studium
 istud Maiorum suorum pluribus verbis
 & commemorat, & commēdat. Sic enim
 in libro de Spiritu Sancto postquam va-
 rias traditiones tacita & arcana doctrina
 relictas enumerasset, subiungit: *Reliqua i-
 tem ex qua sunt scriptura? Nonne ex hac nota
 publicata & arcana doctrina, quam in mini-
 mē curioso ac sollicito silentio Patres nostri cō-
 seruarunt? Recte illi: utpote docti, Mysteriorū
 reuerentiā ac auctoritatem silentio custodiri.
 Quæ enim ne inspicere quidem fas erat nō in-
 iuriatis horum ita etiam inam quomodo par erat in
 literis velut in triumpho ostentari?* Compa-
 ratione deinde facta cum Sanctuario ve-
 teri eiusque arcanis mysterijs, ad eundem,
 inquit, modum etiam hi qui ab initio res Ec-
 clesiasticas sanciuerunt, Apostoli & Patres in
 occulto ac silentio mysterijs auctoritatem cō-
 seruarūt. Nimirum aderant tum permixti
 Christianis in verbis Ethnici & Iudei,
 in Eccle-

in Ecclesijs Catechumeni, idque totis illis sexcētis annis vsque ad Gregorii Magni tēpora. Hinc factum est, vt nec dicentium vel libera in Ecclesijs audiretur, nec manifesta in scriptis libris doctrina legeretur: peruentura haud dubiè in aduersariorū manus, quibus nec doctrina ad sugillāda, nec malitia ad irridēda nostra mysteria deerat. Hinc Tertullianus quū gra-
 uissima illa de infanticidio calūnia obijceretur, licet Apologiā institueret, tamē de Sacrificio Christianorum summo silētio tacuit. Sic Cyrillus Alexandrinus obijcienti & quærenti semper Iuliano Apostatæ, cur non sacrificaremus, de mentis & animi spirituali sacrificio fusissimè respondet; de Ecclesiæ illo singulari & mystico Sacrificio ne verbum quidem. Sed apertissimè hunc Patrum sui tēporis morē notauit Gregorius Nazanzenus. Sic enim scribit. *Nō cātemus, inquit, canticū do-*
mini in terra aliena, videlicet citra vllū dis-
crimen quibusuis audiētibus: siue ū sint gene-
ris nostri, siue peregrini, amici, siue inimici,
candidi, siue maligni, quorum vnicum est stu-
dium nostris insidiari. Et paulò pòst. Quòd si

In Apolog-
tico cap. 9.

Lib. 9. con-
tra Iulianū.

De theolo-
gia lib. 1.

sapientiam nobis inimicam (admixtos Philosophos & infideles intelligit) explodere non licet, in illud saltem uno consensu incubamus, ut secreta quae sunt & à vulgi conspectu semota, secreto quoque tractemus, et quae sancta sancte: nec in profanas aures, quae silentio sunt adoranda, proyiciamus. Alioqui declaramus aperte, quia qui Dæmonia adorant, & turpiū tum fabularum, tum rerum sunt cultores, eos nobis esse longè Religiosiores. Illi enim his qui nō eisæm initiati sunt sacris, sanguinē suum citius quàm quaedam arcana sua impartirent. Hæc ille.

Vopiscus in
Aureliano.

Adeo autem celandorum hoc Mysteriorum in Christianis studium etiā ipsis Ethnicis innotuit, ut Aurelianus Imperator Ethnicus sic ad pontifices suos ethnicos Romę agētes scripserit, ut meminit in eius vita Flavius Vopiscus. *Miror, inquit, vos, patres sancti, tã diu de aperiēdis Sybillinis dubitasse libris, perinđe quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis.* Intellexerat videlicet homo Ethnicus & gentilis, in Christianorum Ecclesia Mystera omnia, ritus ac ceremonias sacras ita summo quodam & sacro silentio

lento occultari, ut earum rerum nihil ad prophanorum hominum aures pervenire unquam potuerit. Quod si forte tandem aliquando fidei quædam Myſteria, Patres illorum temporum fuſius & apertius pertractabant, id hæreticorum ſola importunitas extorſit. Sic enim in cauſa Trinitatis omnium ſanè diuiniffima & difficillima variæ illæ Sabellij, Arrij, Macedonij & Eunomij hæreſes ad diligentiffimam & minutiffimam Myſterii illius altiffimi diſcuſſionem vel inuitos Patres trahebant. Notauit hunc Eccleſiæ morem Auguſtinus, ſic ſcribens: *De trinitate perfectè tractatum non eſt, antequam oblatrarent Arriani: de Penitentia perfectè tractatum non eſt, antequam obſiſterent Nouatiani; de Baptiſmate perfectè tractatum non eſt, antequam contradicerent rebaptiſatores Donatiſtæ.* In illis autem fidei ac doctrinæ Catholicæ dogmatibus, de quibus totis illis ſexcentis annis dubitatum aut controuerſum non erat (qualia plæraque ſunt, quæ hodie ex certis & indubitatis controuerſa & dubia fecit improbitas & impietas hæretica) illorum temporum

Enarratio

Pſal. 54

Patres parcissimè & rarissimè differuerunt.

De Sacra-
mentis quã
parcè olim
scriptũ fue-
rit.

Hoc ita se habere in quibusdam Eccle-
siæ Sacramentis, de quibus tunc fiebant
nullæ, hodie plurimæ & maximæ fiunt
controversiæ, exempli causa clarissimè
demonstrabitur. Beatus Chrysostr. è superi-
ori loco apud populum agès, quũ de Bap-
tismi ritib⁹ apertè aliquid differere quàm
maximè cuperet, non liceret aurem per
p̄phanos illos & catechumenos Cõcioni
admixtos, sic auditores suos allocutus est:

Homil. 40.
in 1. ad Cor.

*Cupiam sanè clarè proferre verba, si per pro-
phanos illos liceret (Ethnicos & Catechu-
menos, quibus Constantinopolis abunda-
bat, intelligit:.) Nam hi difficiliorem nobis
interpretationem reddunt. Cogunt enim, aut
non clarè dicere nos, aut mysteria vulgare. Di-
cam tamen, sed quantum fieri potest ad umbra-
rè. Nim post arcana illa verba & metuenda,
post horribiles canones, dogmatum de celo
transmissorum, ad finem adiungimus, Credo in
resurrectionem mortuorum. Hęc ille. Baptismi
ritus & ceremonias insinuans, quas hodie
vsq; tenet Catholica. Idem de Sacramẽto
Ordinis eiusq; itẽ ceremoniis sic alibi sub
inuolu-*

inuolucro loquitur. *Ordinaturus*, inquit, In 2. ad
Cor. Homil.
18. *astantium vocat preces, & ipsi sententias fe-
runt & acclamant, id quod initiati sciunt.*

Non enim fas est, nō initiatis omnia detegere.

Hæc ille. Eundem quoque morem Innocentius 1. Rom. Pont. huius *σὺν χρόνῳ* & contemporaneus seruat. De Sacramento

enim Confirmationis ex quæstionis cuiusdam occasione differens, quum multa dixisset, *verba verò, inquit, dicere nō possum, ne magis Mysterium proderet videar, quàm ad
Epist. 1. cap.
3. ad Decentium.* consultationem respondere. Atque hæc in il-

lis tribus Sacramentis sic illis tunc temporibus scripta videmus. In genere autē de omnibus Mysterijs eundē obseruatum

semper morem fuisse, tradit apertè D. Ambrosius in lib. de ijs qui initiantur my-

sterijs. Illum enim sermonem suum quia non nisi ad iam baptisatos habebat, ipse-
met rationem reddit his verbis. *Nunc de Mysterijs dicere tempus admonet, atque ipsam Sacramentorum rationem edere, quam ante
Cap. 1.* Baptismum si putassemus insinuandam nōdum

initiatis, *prodidisse potius quàm edidisse estimaremur.* Hæc ille, apertissimè morem Ecclesie veteris quæ iā diximus demonstrans.

ambrosius

Iam ve-

Iam verò in summo omnium & celebratissimo venerabilis Eucharistiæ Sacramento, circa cuius materiam, substātiā, effectum, vsum, ritus ac ceremonias infinitas hodie nobis controuersias, quæstiones, lites, & contentiones, infausta hæc nostrorum temporum hæresis peperit, paritque indies, quantis perpetuo compendiis & βραχυλογίαις primorum seculorū Patres sunt vti, quàm nihil clarè, nihil apertè, nihil copiosè, sed omnia succinè, mysticè, & quasi sub silentio tradiderint, plurimorum nunc Patrum breuibus sententiis, breuiter ob oculos ponam. Origines antiquissimus Græcorum Scriptor cum de hoc Mysterio pertractaret, tanquam rem notam nec vulgandā citò præterit, dicens: *Novit qui Mysterijs imbutus est, Carnem & Sanguinem verbi Dei. Non ergo immoremur in his, quæ & sciētibus nota sunt, & ignorantibus patère non possunt.* Idem facit Homil. 13. eiusdem operis. Tertullianus ad uxorem scribens; *Non sciet, inquit, maritus quid ante omnem cibum gustes? & si scierit, panem, non illum credet, qui dicitur.* Sub nube hæc ita proferuntur, vt si in ea fortè incidat Ethnicus,

Orig. in Le-
uiticū Ho-
mil. 9.

Lib. 2. ad v-
xorem.

Ethnicus, non capiat Myſterium. Sic Epiphanius quum hiftoriam Cœnæ Domini-
cæ obiter vellet exponere, prorfus à Sa-
cramenti verbis abſtinet. *Videmus, inquit,*
quod accepit Saluator in manus ſuas, veluti E- In Anchi-
uangelium habet, quod ſurrexit in Cœna, & ratus.
accepit hæc, & ubi gratias egit, dixit, hoc meum
eſt hoc, & hoc. Quis hæc niſi Chriſtianus,
iſque ſacris Myſteriis initiatus, intellige-
ret? Hoc nimirum eſt myſticè Myſteria
tractare. Iſychius ſimiliter vetuſtiſſimus
Scriptor, quum de hoc Sacramento verba
faceret: *Præueniens, inquit, Dominus, ſemet-* Lib. I. cap.
ipſum in Cœna Apoſtolorum, immolauit quod 4. in Leuitob-
ſciunt qui Myſteriorum percipiunt virtutem. cum.
Videte vt ad ſcientes loquitur, non vt neſ-
cientes quicquam doceat. Eodem planè
modo Theodoretus, quotidiani Sacrificii
uſum, vnicæ in Cruce oblationi minimè
repugnantem volens inſinuare, *Clarum, in-*
quit, eſt his qui ſunt in diuinis rebus eruditi, In Com-
nos non aliud Sacrificium offerre, & cæt. Ita mēt. ad cap.
rurſum commonefacit tanquam de re no- 8. cum Heb.
ta, nihil autem clarè docet aut demon-
ſtrat ipſe. Manifeſtius verò hoc alibi
facit. Interrogante enim aduerſario, *quid*
appellas

Dial. 2.

appellas donū quod offertur ante inuocationem
sacerdotis, respōdet orthodoxus. Nō oportet
apertè dicere. Est enim verisimile adesse ali-
quos mysterijs non initiatos. Moxq; respōde-
tur ænigmaticè tacitis panis & vini voca-
bulis. D. autē Chrysoft. et si vnus omnium
copiosissimè & frequentissimè de hoc Sa-
crificio & Sacramento scripserit, nihil ta-
mē apud eū compēdijs istis & præcisioni-
bus frequētius. Agēs enim hac de re apud
populū; Sciūt inquit, initiati quid dicatur; &
Homil. 27. in Gen. populū; Sciūt inquit, initiati quid dicatur; &
Hom. 22. ad Hebr. Hom. 5. in 1. ad Tim. Hom. 51. & 61. ad pop. An-
sioch. alibi: Scitis qui imbuti estis Mysterijs. Et iterū:
Nostis profecto qui initiati estis id quod dici-
mus: siue sexta feria, siue Sabbato, siue in Do-
minica die, siue in celebritate Martyrū, eadem
litatur hostia, idē immolatur Sacrificium. Rur-
sum quoq;: Sequamur, inquit, initiati, quæ di-
cuntur, norunt fideles. Vt in Oriente Chry-
sostomus, ita in Occidente Augustinus
plusquam Laconica verborum breuitate
vritur, quoties de hoc Mysterio disserit.
Agēs enim alicubi apud populum de Ec-
clesiæ Sacrificio, Nostis, inquit, quale Sacri-
ficiū, norunt fideles. Et ibidē paulò post: No-
rūt fideles. Disputari inde moad non potest. Et
alibi: Nouerunt, inquit, qui legūt, quale Sacri-
ficiū

Enarrat. in

Psal. 21.

Conc. 2.

ficium obtulerit Melchisedech. Quam locutionis formā multis in locis vsurpat. Contra aduersariū legis & Prophet. cap. 20. In Psal. 33. Conc. 1. in Ioannē Tract. 26. Ex quibus omnibus loquēdi formulis, quum cōstet, Patres illorū temporū de Sacramētis religionis nostrę nihil fusē pertractasse, nihil copiosē disseruisse, nihil aperta narratione demōstrasse, sed parcē & breuiter summa rerū capita attigisse, & res grauissimas leuiter ex proposito præteruolasse, omniaque ad auditorum & legētium notitiam retulisse; quis non videt, iniquissimam esse illorum & ab omni ratione ac æquitate alienissimam Præscriptionem, qui dogmata hodie controuersa maximē circa doctrinam Sacramentorum & Religionis cultum, non nisi ex illorum Patrum ac seculorum documentis clarissimis, testimonijs apertissimis, praxi perspicua & dilucida peti, probari, & demonstrari volūt? Quum enim isti nullam prorsus rationem habeant vel eo tunc tempore scribentium paucitatis, vel librorū quę inde secuta est, iacturę & infinitę vastitatis, vel ipsius in scribendo breuitatis ac

ris ac parcitatis, seu propter primorum Patrum in mysteriis fidei occultandis reuerentiam, seu propter Ethnicorum & Catechumenorum perpetuam cum fidelibus commixtionem, istos sanè homines eorumque furiosam Præscriptionem, ab omni penitus ratione esse alienissimã, quis dubitet?

*Pars. 2. De
impietate
Præscriptio-
nis huius.*

Venio nunc itaque ad alteram illam Orationis nostræ partem longè grauissimã, & vestra (ornatissimi Auditores) diligenti attentione dignissimam, in qua non de iniquitate, temeritate, aut leuitate aliqua, sed de nefanda & abominanda, Christianisque auribus & cordibus detestanda blasphemia Præscriptionis huius impudentissimæ, agendum nobis erit. Hoc ergo in loco, hac in causa, non animis solum, sed & affectibus adeste, mecumque impietatem istam post hominum memoriam sceleratissimam, seriò cõsiderate. Quid enim est quod audent, aut potius quod non audent dicere? Ausi sunt & dicere, & scribere, & toti posteritati editis libris commendare, his totis mille annis, totum Christianum Orbem, sub Papatum, (sic enim loquuntur isti

tur isti καὶ νόσοι) superstitionibus infini-
 tis inuolutum, erroribus innumeris im-
 plicatum, idololatriæ denique cuiusdam
 crassissimæ reum fuisse. Ipsum porro Ec-
 clesiæ Caput & Principem, ipsummet
 esse Antichristum: *Nos enim* (Ait Calui-
 nus) *sceleratū illius & aominantū sub Anti-* Institu. lib.
4. cap. 2.
par. 120
christo regni Ducem & Antesignanum apud
nos facimus Rom Pontificem. Cæteros au-
 tē Episcopos, Abbates, Monachos, Pres-
 byteros totumque Clerum ac populum
 Christianum, quotquot iam his mille an-
 nis Rom. Pont. ut Vicario Christi obe-
 dientiam præstiterūt, membra esse Anti-
 christi & filios perditionis. Theologos
 porrò ac Scholasticos Magistros omnes,
 qui hoc toto tempore docuerunt, tene-
 brarum magistros, cæcos duces, atque a-
 deò, ut verbo contumeliam addant, para-
 sitos Pontificios & lixas regios, superbissi-
 mē appellitant. O sceleratam blasphemiam.
 O proiectam audaciam. O porten-
 ta hominum in vltimas terras deportan-
 da, imò ex omni terrarum Orbe, quàm
 longissimē exterminanda. Liceat hîc mi-
 hi (per vestram omnium humanitatem &
 O pietatem,

pietatem, rogo) murato nonnihil orationis genere, ipsos hinc aduersarios nostros compellare, & ad illos tanquam praesentes Orationis velum conuertere.

Vos hinc ergo compello tota Protestantum confusa turba, vos sanctae Ecclesiae (Matris olim vestrae, ac adhuc etiam nostrae) non iam filij, sed spurij & Apostatae, ad vos haec nostra se conuertit Oratio. Illa ne Ecclesia verbi Dei Incarnatione fundata, coelestibus promissis stabilita, Sanguine Unigeniti redempta, aduentu S. Spiritus confirmata, Apostolica praedicatione erudita, Martyrum cruore signata, post sexcentos tandem annos vestro iudicio desijt, vt mille penè iam annis seducta, & nequissimis erroribus implicata, in fine tandem seculorum apud paucos reuiuisceret? Hoc in Euangelio reperitis? Istudne ex verbo Dei didicistis? An non prorsus contraria legitis? *Ego, inquit Saluator, vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: quae cum diceret, Apostolis loquebatur, sed nos intelligebat, ait August. Nunquid enim Apostoli hinc futuri erant vsque ad consummationem seculi? Ecce ergo perpe-*

Math. 26.
Enarrat. in
Psal. 47.

hiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: quae cum diceret, Apostolis loquebatur, sed nos intelligebat, ait August. Nunquid enim Apostoli hinc futuri erant vsque ad consummationem seculi? Ecce ergo perpe-

perpetuò præsentem Ecclesiæ suæ auditis Christum. Usque ad cōsummationem seculi dicit, non in consumatione sola: usque ad finem, non in ipso fine tantum: usque ad exitum rerum, non in ipso demum exitu, ut ante exitum tot eam annis deseruerit. Rursum *super hanc Petram*, ait Christus, *ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matthi. 16. Aperitè ergo oculos, & videte perpetuam Christi Ecclesiam; videte solidam validamque ut æciem castrorum ordinatam, & ut petram immobilem, aduersus quã nec portæ inferi præualebunt. Et qua fronte vos superstitiones, qua fronte errores, qua fronte idoli cultum aut in ea, aut contra eam præualuisse dicitis? An fortè portæ inferi præualere non potuerunt, sed portæ Romanæ poterant? Sed & iterum; Christus rogauit Patrem, *ut alium Paracletum* Ioan. 14. *daret Ecclesiæ suæ, ut maneret cum ea in æternum, Spiritum veritatis.* Si Spiritum veritatis in æternum, quomodo spiritum erroris per tot Centenarios? An ierita Christi verba, ò Verbi Dei Assertores, dicemus? aut contra Christi

O 2 — disertis

disertissima verba, Ecclesiam nobis sua cœlesti presentia perpetuò administrandam, cōtra portas inferi semper muniendā, Spiritu veritatis in æternum dotandam promittentis & asserentis; vestris vanissimis & sceleratissimis verbis eam defecisse, aberrasse, & diris erroribus implicatam fuisse asserentibus, credendum putabimus? Hocine est ad verbum Dei, fidem (quod pollicitamini) reuocare, vt verbis vestris contra Christi verba credamus? Hocine est Euangelij lucem prædicare, vt Euangelium perpetuis iam in tenebris obvolutum, ipso etiam reclamante Euangelio doceatis?

Quid, quòd non Euangelio solùm viri Evangelici apertè cōtradicitis, sed & propheticam quoque doctrinā (quam vobis solis magno supercilio arrogatis) hæc vestra præclara Præscriptio penitus proscribit? Ecquid enim in Psalmis, & in Prophetis, frequētius aut clarius reperitur, quàm Christi Ecclesiam à suo primùm exordio, ad fines vsque seculorum perpetua successione decurrere & perdurare? Pauca de multis breuiter perstringam, & notabo po-

rabo potius, quàm ostendam. In Psal. 88.
 sic legimus: *Disposui testamentum electis* Psal. 88.
meis, iuravi David seruo meo, usque in aeter-
num praparabo sementuum, & edificabo in
generatione & generationem sedem tuam. Et
iterum: Semeliuravi in sancto meo, si David
mentiar, semen eius in aeternam manebit.
 Quæ verba si cum Iudæis potius ad Salo-
 monem, quàm cum Ecclesiæ Patribus ad
 Christum referri vultis; (hoc enim infa-
 niæ vestræ conuenit) at illa, opinor, ad
 Christum spectare non negabitis, ipsis e-
 tiam Pharisæis & Iudæorum principibus
 iam olim præsentem Christo id confitenti-
 bus, quæ idem Propheta dicit: *Tu es Sa* Psal. 109.
cerdos in aeternum, secundum ordinem Mel-
chisedech. Quod si in aeternum Sacerdos,
 quomodo tot annorum centenarijs, sine
 Sacerdotio, sine Sacrificio, sine Ecclesia?
 An fortè dicturi estis, quod dixerunt olim
 Donatistæ cum hæc audirent, vt meminit
 August. *Iam hoc factum est. Iam crediderunt in* Enarrat in
Christum omnes gentes. Sed illa Ecclesia que Psal. 101.
fuit omnium gentium, iam non est, perijt. Imò
 hæc planè sunt verba vestra, hæc vox
 omnium vestrùm est, perijisse his non-
 O 3 gentis

gentis annis veram Christi Ecclesiam. Ex hoc enim vno absurdo, illa vestra Prescriptio absurdissima nata est. At audite, per si qua adhuc in vobis reliqua est, fidem vestram, per amores omnes rogo, quid de hac voce, olim Donatistarum, nunc vestra antiquissimus ille & sanctiss. Pater, Doctorq; celebratissimus D. Augustinus senserit. Sic eam commendat, sic exornat.

Enarrat. in
Psal. 101.

Hanc, inquit, vocem abominabilem, & detestabilem, præsumptionis & falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, precipitem, perniciosam, prauit. Spiritus Dei, & per Prophetam in persona Ecclesie dixit, Exiguitatem dierum meorum nuncia mihi. Quia est, quod nescio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est, quod per diti me perisse contendunt? Certè enim hoc dicunt quia fui, & nō sum amplius. Annuncia ergo mihi exiguitatem dierum meorum. Non à te quero dies illos æternos. Illi sine fine sunt, ubi ero: Non ipsos quero. Temporales quero, temporales dies mihi annuncia. Quamdiu ero in isto seculo, annuncia mihi, propter illos qui dicunt. Fuit Ecclesia & non est: propter illos qui

los qui

los qui dicunt: Impleta sunt Scriptura: Crediderunt omnes Gentes: sed apostatauit & perijt Ecclesia de omnibus gentibus. Et annunciauit, nec vacua fuit vox ista. Quomodo annunciauit? Ecce ego, inquit, vobiscum sum ad consummationem seculi. Hæc hæcenus Augustinus contra suos olim Donatistas. Hæc & nos contra vos hodie, non tam nostros, quam Ecclesiæ & ipsius Christi aduersarios simili insania laborantes, similiter proferimus ac repetimus.

Sed redeo nūc ad prophetica, & vnum vobis Esaiam non tam Prophetam, quam Euangelistam (sic enim ab Augustino & Hieron. nūcupatur) oppono. Sic de Messie Regno, quod est Ecclesia, scribit. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super Solium David & super Regnum eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsque in sempiternum.* Rursum sic alibi gentes in persona Dei alloquitur Propheta: *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus*

*De ciuit.
Dei lib. 18.
cap. 29.
In proemio
in Esaiam.*

Cap. 9.

Cap. 54.

O 4 Dominus.

Dominus. Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuravi ne inducerem aquas ultra super terram, sic iuravi ut non irascar tibi & non increpem te. Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent: Misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis mea non movebitur, dixit miserator tuus Dominus. Potuitne quicquam clariùs aut apertiùs dici? Aut contra hæc quod aliqua fronte vel mussitari queat, habetis? Annon etiam clarissimo Noe exemplo animi sui sententiam Propheta explicat? Nō videtis, quòd sicuti post primum illud sub Noe totius orbis diluuium, nullum tale aliud denuo futurum Deus certissimè promisit: sic post illam omnium gentium ante Messiaë aduentum cœcitatem (solis Iudæis, ut tunc solo Noe, cum suis, in arca Synagogæ servatis) nullam deinceps similem futuram, clarissimè pollicetur? Et audetis tamen vos (quanquã quid est quod non audetis?) hanc omnium gentium cœcitatem, tanquam novum totius Orbis diluuium, his totis mille annis, iam factam fuisse pronũciare? Quid ergo ad hæc Prophetæ verba dicitis, quid vel hiscere potestis? Non desunt

defunt acuris hominibus prompta perfugia. Respondet intrepidè Calvinus vester, & in hunc Esaiæ locum cōmentans, istud nobis non veri commētarij, sed commēti potius vanissimi homo impudens obtrudit. Sic enim in postremum iam productū locum scribit. *Tametsi, inquit, innumeris superstitionibus omnia polluta sint, ut propemodum obrutum fuerit Christi avum nomen, aliqua tamen Ecclesiæ forma quàmuis mutila in orbe remansit.* Rursum paulò post. *Tametsi Ecclesiæ fluctuet atque agitetur varijs modis inter has tempestates, tamen quia Dominus perpetuam sui nominis memoriã esse vult, eam tuebitur ac defendet.* Pulchrè, sanè, & bellè responsum. Schemate quodam & tropo remotionis rhetoricæ, apertissimã & clarissimam veritatem offuscare, verbisque paulò cōcinnius dispositis ac cōnexis, Lectori fucum facere, vafer & versipellis homo molitur.

Sed nō ita facilè manifestissimæ & fortissimæ veritatis aut extinguitur splendor, aut retunditur acies; nec verborum fucus rei gravitatem quasi levis arundo immobilem Petram concutere potest. *Pollui*

o 5 omnia

In commen-
tar. in. cap.
54.

In cap. 55.

omnia superstitiōibus innumeris, Obrui quoque propemodum Christianum nomen, & mutilā Ecclesia formam remanere, quæ dicit Calvinus, ex diametro repugnant misericordiæ sempiternæ, qua misertus est gētium Deus; misericordiæ, quæ nō recedet ab Ecclesia gentiū, & fēderi pacis, quod nō mouebitur, quæ omnia dixit Propheta Esaias. Hoc nō est prophetæ verba commētario illustrare, sed est Prophetam & Deum ipsum commenti, & (ô blasphemiā) mendacii arguere. Propterea sanè adhuc apertius idem alibi Propheta eandem hāc dei promissionem reperit & inculcat. *Quum venerit, inquit, Sion Redemptor & cat. Hoc est fœdus meū cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te: & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore feminis seminis tui: dicit Dominus, A modo & vsque in sempiternum.* Hic ergo quid dicis, Caluine? In hæc verba quid tandem commentaris? quem fucum facies? quam fraudem inuenies? Libet hīc cum Augustino sic in simili causa exclamante, dicere: *O violentia veritatis, quolibet e-culeo, quibuslibet unguis fortior ad exprimiendam*

Esai. 59.

In lib. cōtra
Donat. post
collationem
cap. 24.

miendam

mendam confessionem. Hic enim vi veritatis victus Calvinus, verissima hæc verba vel inuitus protulit. *Promittit propterea inestimabili hoc bono Ecclesiam nunquam priuatam iri, quin Spiritu sancto regatur & fulciatur celesti doctrina.* Parum enim esset nobis, semel offerri Euangelium, nosq; Spiritu donari, nisi apud nos perpetuò residerent. Et paulo post. *Promissio eiusmodi est, Dominum sic affuturum Ecclesiæ, sicq; eius curam habiturum, ut eam priuari doctrina nunquam sinat.* Hic ergo te teneo, Caluine, hic te vrgeo. Hæc te nostra, imò tua te ipsius cruet Oratio. Corruit iam penitus hæc tua tuorumque petulantissima Præscriptio. Corruit totius nouitatis, ac falsi nominis Religionis vestræ fundamentum. Corruit simul quicquid tam lubrico fundamento superextruxistis.

Si enim (quod ipsemet fateris,) *inestimabili hoc bono* (sic enim rectissimè id vocas) Ecclesiam suam Deus ditauit, *ut Spiritu Sancto semper regatur, ut celesti doctrina semper fulciatur, ut apud eam Euangelium perpetuò resideat, ut denique sic adsit Ecclesiæ suæ Deus, ut vera eam*
doctrina

In com. in
cap. 50.

doctrina nunquam priuari sinat, quæ omnia tua sunt verba: quanta tu absurditate, quanta impudentia, quanta repugnantia dicis, his totis mille annis *superstitionibus* non paucis, sed *innumeris*, nec quædã sed *omnia* Religionis Christianæ *polluta fuisse*, ipsumque *Christianum nomen obrutum prope modum iacuisse*? Hæccine cohærēt? Hæccine cōueniunt? An non potius ex diametro, & *ἀλλὰ πᾶσι* ut dicunt, repugnant, & dissident? Sed illum iam eiusque consimiles missos facio.

Epilogus.

Ad vestram nunc prudentiam, gravitatem, æquitatem, amplissimi & ornatissimi Auditores, nostra se reflectit Oratio. Vestrū hīc gravissimum iudiciū, vestram sententiam appello. De hac istorū hominum admirabili Præscriptione quid pronunciatum sit, ad vestrū planè arbitriū refero. An aliud profectò censebitis, quàm & iniquissimā illam esse, & ab omni ratione alienissimam, & cū summa pariter ac inaudita in Deum ipsum blasphemia coniunctā? Nemini me hercle obscurum iam esse arbitror, diligenter expensis ijs quæ diximus, Ecclesiam Christi adeò esse sibi similem, adeò

adeò vnam ac eandē, quantum ad veritatis ipsius vim ac fidei sincerā doctrinam spectat, vt nulla eius ætas, nulla successio, alterā potior haberi debeat. Non enim ad certa tēpora, sed ad perpetuū quoddā tēpus, sine aliquo intervallo diuina quæ audiui⁹, verba se porrigūt. Quodq; de Ecclesię firmitate, fide, ac robore in Scripturis prædicatur, nō minus ad posteriores Ecclesię annos ac ætates, quàm ad priores pertinet. Antiquitati quidē certè multū defertur: sed Ecclesiæ cōsensus à quocūq; ille tēpore petatur, eādē vim habet. Quinimò, si posteriorū horū tēporū summā in Ecclesia pacē, doctorū virorū multitudine, acria ingenia, acerrima studia cōsiderem⁹, si quā facile sit inuētis addere, quātiq; momēti, aliorū studijs, ac laboribus, novos accessisse sudores, nouas lucubrationes, cogitemus; si quot his postremis Cētenarijs ad fidē Christianā Gentes conuersæ, quot sanctissimarū Religionū præclari ordines inuēti, quot de reb⁹ grauissimis Cōcilia habita, quot hēreses eruditè cōfutatę fuerint, si postremò quāta rùm in sacrā paginā optimorū interpretū, tum ad formādam pie-

*Recentioris
Ecclesiæ
comium*

dā pietatē homiliarū eruditissimarū seges
 pdierit, quā preclara in ōni sciētiarū ge-
 nere, sed maximē in studio Theologico,
 monimēta in lucē & man^u hoīm exierint,
 vt ad methodos multa fuerūt redacta, quæ
 antea cōfusa, explicati^o tradita, quæ antea
 obscura erāt, attētē & cōsideratē perpen-
 damus: videbimus profectō (vna Antiqui-
 tatis grauitate excepta) Ecclesiā & Theo-
 logos posteriorū horū tēporum, eos dico
 qui his nōgēris & ampli^o annis floruerūt,
 cū prima illa Ecclesia satis laudabiliter &
 sine inuidia posse cōparari. Illud sanē ex-
 tra controuersiam est, ad dubia fidei clarē
 & euidenter discutiēda, certi^o & copiosi^o ex
 hac ætate nobis suppeditari, quā ex pri-
 mis illis seculis. Quæ vnica causa erat arro-
 gantissimæ huius & petulantissimæ Præ-
 scriptionis ab hæreticis excogitatæ. Quæ
 quum ita sint, nec illa iā amplius superba
 Præscriptio apud pium quēquā valere, sed
 oīm prorsus bonorū ac prudentū auribus
 tāquā & ex se iniquissima, & in Deū blas-
 phema explodi, & recentiorū harū ætatū
 Theologis, Patribus, ac Magistris, suus cō-
 stare honos, sua cōcedi Authoritas debet.

DIXI.


*Nihil est in his sex Orationibus quod pias
& Catholicas aures queat offendere: quinimò
magno Lectorum fructu publicabuntur & ty-
pis excudentur.*


Ar. Massius D. Amati Decanus &
sacrae Theologiae Doctor.


*Sex haec Orationes publicè Duaci habitae à
Domino Thoma Stapletono Anglo, S. Theolo-
giae Doctore, & in Academia Duacena Pro-
fessore, cum utilitate multorum poterunt im-
primi, quia nihil habent quod merito aliquem
possit offendere, sed plurima quae adificant cõ-
plectuntur. Actum Bruxellae, 29. Martij. An-
no 1576. Lib. Coll. Socij Jesu Paderborn. a.º 1610*


Gislenus de Vroede
Suffraganeus Mechliniensis.

*Excudebat Vidua Ludouici de
Vinde, cura & impensa
Johan. Fouleri.
An. 1576.*









Th
5858